BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA

PATRVM NICAENORVM NOMINA

LATINE GRAECE COPTICE SYRIACE ARABICE ARMENIACE


SOCIATA OPERA EDIDERVNT

HENRICVS GELZER · HENRICVS HILGENFELD
OTTO CVNTZ

ADIECTA EST TABVLA GEOGRAPHICA

Mit einem Nachwort von
Christoph Markschies

Neudruck der 1. Auflage (1898)



STVTGARDIAE ET LIPSIAE
IN AEDIBVS B.G.TEVBNERI MCMXCV

Dieser Band der „Bibliotheca Teubneriana"
erschien 1898 als Faszikel II der

Scriptores sacri et profani

auspiciis et munificentia serenissimorum
nutritorum almae matris Ienensis
ediderunt seminarii philologorum Ienensis magistri

Für diesen Neudruck stellte uns die
Universitätsbibliothek Leipzig
— Bibliotheca Albertina —
freundlicherweise die Originalausgabe von 1898
zur Verfügung
(Signatur: Scr. eccles. 1437[i])

Die Deutsche Bibliothek — CIP-Einheitsaufnahme

Gelzer, Heinrich:
Patrum Nicaenorum nomina Latine, Graece, Coptice, Syriace,
Arabice, Armeniace : adiecta est tabula geographica /
Heinrich Gelzer ; Heinrich Hilgenfeld ; Otto Cuntz. —
Ed. stereotypa ed. 1 (1898). Mit einem Nachw. von Christoph Markschies. —
Stutgardiae ; Lipsiae : Teubner, 1995
(Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana)
ISBN 3-519-01995-7
NE: Hilgenfeld, Heinrich:; Cuntz, Otto:; HST

Printed in Germany
Druck: Druckhaus Köthen GmbH
Bindung: Verlagsbuchbinderei D. Mikolai, Berlin

ORDINI · VENERABILI
THEOLOGORVM · GISSENSIVM

ANIMO · GRATISSIMO

D · D

HENRICVS · GELZER
THEOLOGIAE · DOCTOR

Cap. I.

De versione Latina.

Patrum Nicaenorum laterculi latini in multis canonum ecclesiasticorum servantur collectionibus. Quas secundum canonum Nicaenorum formas quas praebent ita disponit Maassenus *(Geschichte der Quellen und der Literatur des canonischen Rechts im Abendlande bis zum Ausgange des Mittelalters. 1871. p. 49 sq.)*:

Isidori versionem continent collectiones

1. Frisingensis,[1])
2. Sanblasiana,
3. fragmentum Veronense,
4. Hispana,
5. Quesnelliana,
6. S. Mauri,
7. Corbeiensis.

Propriam versionem habet

8. collectio Teatina (Chietensis),

Gallo-Hispanicam:

9. collectio Burgundiensis,

Gallicam:

10. collectio Coloniensis,

---

1) Errore Maassenus hic nominat collectionem Wirzeburgensem, quam episcoporum seriem non exhibere et ipse alio loco affirmat (p. 552) et ego Herbipoli vidi. Nihil habet nisi Hosii et presbyterorum Romanorum subscriptiones eodem modo perturbatas ut codex Frisingensis cf. Maassen l. c. p. 480 sqq.

versionem „priscam“:

11. collectio Vaticana,
12. „ Iustelliana,

Dionysianam:

13. collectio Hadriana.

Quae perspexisse cum inquirenti in episcoporum laterculos non prorsus quidem inutile sit, tamen eorum stemma aliter constituendum esse atque ex tabula hac colligi possit apparebit. Neque mirum. Nam potuisse eos, qui collectiones canonum conficiebant, aliunde desumere canones aliunde nomina, quis negabit?

Quattuor laterculorum extant familiae sive versiones. Prima saepissime conservavit nominum cum episcoporum tum civitatum formam graecam, secunda civitatum nomina plerumque in adiectivorum formam redegit, tertia plerumque genetivo, quarta ablativo utitur casu. Ad quas antequam accedam, praemoneo me codices de quibus dicam omnes ipsum contulisse, exceptis eis quos significabo.

I.

Collectio Hadriana cf. Maassen l. c. p. 441 sqq.

Codices adhibui hosce:

A = Vatic. Reg. 1021 saec. IX. fol. 39[1]—41[1]. Maassen p. 441 n. 5.

B = Vatic. Reg. 1043 saec. X. fol. 22—23[1]. Maassen p. 442 n. 32. Manus altera, quae codicem correxit, eiusdem fere videtur esse saeculi.

C = Vatic. Ottobon. 312 saec. X/XI, ut mihi videbatur et Günthero *(corpus scriptor. eccl. lat. Vindob. vol. XXXV p. LXXXV)*; fol. 21—23. Maassen p. 442 n. 33. Manus alterius correcturas eiusdem fere puto aetatis.

D = Sessor. LXIII (bibliothecae Victoris Emmanuelis 2102) saec. IX/X. fol. 14—16. Maassen p. 442 n. 26.

E = Vallicell. A 5 saec. X. fol. 40—42. Maassen p. 442 n. 35.

Collectio Hispana cf. Maassen l. c. p. 667 sqq.

Quos ego inspexi huius collectionis codices, nullas canonibus Nicaenis subiungunt subscriptiones: Vatic. Pal. 575. Escurial. I D 2. Vindob. 411. Escurial. I D 1. Matrit. P 21 (Maassen n. 3—6. 8.).[1]) Sed adsunt patrum nomina in aliis quattuor codicibus Hispaniae, id quod mihi innotuit ex editione Gonzalezii *(Collectio canonum ecclesiae Hispanae (ed. Gonzalez): vol. II Epistolae decretales ac rescripta Romanorum pontificum. Matriti 1821. p. 8—16).* Neque tamen omnes eiusdem familiae praebent laterculos, sed duo quartae (Gonzalez p. 13—16, infra p. XIV), duo primae (Gonz. p. 8—13). Hic nominandi sunt:

F^1 = Urgelitanus. Secundum Gonzalezium[2]) saec. X/XI. Maassen p. 669 n. 9.

F^2 = Gerundensis, saec. XI (Gonzalez). Maassen p. 670 n. 12. Consensum eorum *F* littera significavi.


Fide igitur hic nitor Gonzalezii, de qua cur dubitarem non inveni, et qui ipse p. 8 adn. 32: „subscriptiones," inquit, „episcoporum, qui huic magno adfuerunt concilio, in plerisque codicibus desiderantur: plurimas vero in Urgelitano codice legere fas est, quas depravatas licet atque a recta lectione remotas agnoverimus, religiosius tamen, prout eas exhibet, cum variantibus Gerundensis codicis lectionibus innectendas existimavimus."

Iam quae inter hos libros intercedat ratio videamus.

F^1 et F^2, quos artissimo inter se necessitudinis vinculo coniunctos esse ubivis manifestum est, reliquorum corruptelis medentur e. g. II. VII. 58. 91. 114. 116. 166. 167. XXVI. 190. A ceteris ut cognati inter se seponendi sunt *D*, qui et alias a genuina quae dicitur Hadrianae forma recedit, atque *E*, qui Hadrianam continet auctam,[3]) cf. e. g. 6. 20. 26. 40. VII. 116. 118. *ABC*, qui Hadrianam ex-

1) Alii concilium N. omittunt aut amiserunt: Escurial. I *E* 12. I *E* 13. II *D* 20, de quibus cf. Maassenum (l. c. n. 7. 13. 14), Passioneus (Angelicus *S* I 15. Maassen n. 2). 2) In voluminis primi praefatione. 3) cf. Maassen p. 454 sqq.

hibent genuinam, accuratius examinare supersedi. Iam hoc efficitur stemma:



Sex aliorum Hadrianae codicum varias lectiones, quae mihi praesto sunt, ne apparatum nimis onerarem, neglexi. Sunt autem trium Parisinorum, quos exscripsit et mecum communicavit Gelzerus: 1452 saec. X. 1453 saec. X (Maassen p. 443 n. 38. 39). 1454 saec. X et Novariensis XXX (66) saec. X ab Amellio in lucem prolati *(Spicilegium Casinense. 1888. p. 207 sqq.)*, quorum vices ita explent *ABCDE*,[1]) ut nihil desideres; porro duorum Vaticanorum, quos ipse contuli: 1337 saec. X, ut ego existimo cum Günthero (l. c.) (Maassen p. 443 n. 36), qui licet recedat a collectionis Hadrianae norma (Maassen p. 452 sq.), certe in subscriptionibus episcoporum proprii nihil habet nisi corruptelas — accedit quod n. 151 sqq. XV. demum saeculo libro inserta sunt —; 1338 saec. XII, cui nomen collectionis Hadriano-Hispanicae datum est (Maassen p. 454). Qui non purum unius familiae praebet textum, sed ex I (*ABC*) et II (*KL*) mixtum.[2]) Nominum ordo, quia quae duabus columnis erant scripta non secundum columnas sed secundum versus excripta sunt, valde perturbatus est.

De Dionysiana Bobbiensi cf. infra p. XIV.

1) Paris. 1452 atque 1453 ad *ABC*, Novar. XXX ad *A*, Paris. 1454 ad *DE* propius accedit. 2) E. c. 12 tauthites. 16 beronices. 17 barces. 49 ticlassus. VII provinciae hisauriae coles. — 7 heraclianensis. 10 decummaeos. 69 geddanensis. 85 ephipheniensis. — 24 gaianus cesariensis. 25 eusebius gaderensis. 26 sabinus ascalonitanus.

II.

Fragmentum Veronense cf. Maassen p. 761 sqq.

G = Veron. LIX saec. VIII, ut ego existimo. fol. 231—234.

Collectio Corbeiensis cf. Maassen p. 556 sqq.

H = Paris. 12097 (Sangerm. 936. Corb. 26) saec. VI/VII fol. 62^1—64^1. De altero eiusdem codicis patrum Nic. indice cf. infra p. XIV.

Collectio Burgundiensis cf. Maassen p. 636 sqq.

I = Burgund. 8780—8793 saec. IX. fol. 92 sqq. In meum usum contulit Franciscus Cumont amicus.

Collectio Sanblasiana cf. Maassen p. 504 sqq.

K = Paris. 1455 saec. X fol. 4^1—6. Continet collectionem Colbertinam, cuius partem primam efficit collectio Sanblasiana. Maassen p. 536 sqq.

L = Paris. 3836 saec. VIII fol. 4^1—7. Maassen p. 504 n. 2.[1])

Collectio S. Mauri cf. Maassen p. 613 sqq.

M = Paris. 1451 saec. IX/X, ut mihi videtur; fol. 31—33. In archetypo laterculi nomina columnis erant disposita, quas in codice ita invenimus divisas, ut ex singulis columnis primum episcoporum deinde dioecesium nomina composita sint. Provinciae inter episcopos exhiberi solent.

Collectio Iustelliana cf. Maassen p. 533 sqq.

N = Bodleian. 3687 saec. VI/VII fol. 20^1—24^1. Nomina inde a n. 199 cum quarto quaternione perierunt. — Lectiones codicis debeo Francisco Cumont.

Collectio Vaticana cf. Maassen p. 512 sqq.

O = Barberin. XIV. 52 saec. IX fol. 15—17^1. Maassen n. 2.

P = Vatic. 1342 saec. IX fol. 22^1—24. Maassen n. 1.


---

1) Cod. Lucan. 490 saec. VIII (Maassen n. 4), quem item inspexi, canonibus Nicaenis nominum catalogum non subiungit.

Laterculus perturbatus est atque ita dispositus: 1—7. II—26. 28. 29. 8—10. 12. 37—44. 47—49. 46. 45. VII—55. 30—36. 63—80. 56—62. 86—103. 81—82. 83. XI. 84. 85. 110—122. 124. 125. XIV—109. 134—150. 126. 127—133. 158—XXVII. 151—157. 182. 183. 186. 187. 185. 184. 188—197. 172—181. 211. 206. 207. 208. 209. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 198—XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. 210. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII.

In quorum librorum stemmate unam efficiunt lineam *GHI* cf. e. c. 8. 9. 19. 23. 34. 45. 46. 48. 53. 60. 62. 65. 77. 80. 202. 204, ex quibus artius inter se coniungendi *HI* cf. e. c. 11. 18. 65. 70. XIII. Sed notandum, *I* non puras familiae secundae praebere lectiones, sed adhibuisse interdum quartae familiae codicem, codici *Y* (infra p. XIV) propinquum, qui dioecesium nomina omittit cf. 83. 99. 103. 105. 114. XXI. 147. 153. 154. 174. XXXIII—212. De ceteris affines sunt *KLMN* cf. imprimis 12; quorum stemma explorare opus non est. Qui restant *OP* hic quae in *KLMN* erant corrupta magis etiam corruperunt cf. 69. 74. 83. 96. 113. 114 illic ad *GHI* propius accedunt et quae illi recte ferunt conservaverunt cf. 18. 56. 62. 63. 91. 97. 100.

Quare hoc delineandum est stemma:



III.

Collectio Frisingensis cf. Maassen p. 476 sqq.

Q = Monac. 6243 (Fris. 43) saec. IX fol. 17—19.

Nominum series mirum in modum perturbata haec est: 1. I. II. 2. 4. 6. 8. 3. 5. 7. 9—15. 24—39. III. VI. 16—18. 40. 41. 19—20. 42—47. 92. V—23. 48—63. 84—88. XII. 64—80. 89—91. 83. 93—112. X—82. 113—119. 120. XIX. 121—134. XVII. 136—157. XXI. 135. 158—211. 212. XXXVI. 213. 214. XXXVIII. 215. 216. XL. 217. 218. 219. 220. XLIV.

Collectio Teatina cf. Maassen p. 526 sqq.

R = Vatic. Reg. 1997 saec. IX/X fol. 49[1]—52.

Collectio Quesnelliana cf. Maassen p. 486 sqq.

S = Paris. 1454 saec. IX/X fol. 43[1]—46. Maassen n. 4. Scriba exemplar quod habebat ita exscripsit, ut ex singulis columnis primum episcoporum deinde dioecesium componeret nomina. Provincias dioecesibus plerumque inseruit.[1])

T = Sangall. 682 saec. IX. p. 32—45. cf. Scherreri catalogum p. 223.

V = Vindob. 2147 saec. IX/X fol. 15—16[1]. Maassen n. 6.[2])

De quibus codicibus necessitudinis vinculis coniunguntur *QR* cf. e. c. 14. 59. 62. 112. 121. 137. 154. *Q* pauca a secunda familia mutuatus est cf. 15. 116, *R* permulta cf. e. c. 31. 68. 70. 71. 74. 95. 175. 201.[3]) A Quesnellianae collectionis codicibus seponendus *S* cf. 1. 36. 38. VI. 128. 156. 165.


Stemma igitur habemus hoce:

---

1) Haud aliter Paris. 3842 A saec. IX/X. Maassen n. 5.

2) In Vindob. 2141 qui paullo vetustior est nomina Nicaena et temporum iniquitate et a correctore quodam vexata sunt.

3) Iam in archetypo huius familiae variae lectiones e secundae familiae codice erant adnotatae cf. infra p. XVI.



Tertiae familiae etiam adnumerandus est qui in collectione Dionysiana Bobbiensi legitur episcoporum index: Ambros. *S* 33 sup. saec. IX fol. 39—39[1] cf. Maassen p. 471 sqq.[1]) Quem ideo neglexi quod primum n. 39 terminatur neque novi quidquam praebet, deinde etiam plura quam *R* e secunda familia deprompsit.[2])

IV.

Collectio Coloniensis cf. Maassen p. 574 sqq.

X = Colon. 212 (Darmstad. 2326) saec. VII fol. 12—14. Exscripsit Hermannus Schoene amicus.

Collectio Corbeiensis cf. Maassen p. 556 sqq., supra p. XI.

Y = Paris. 12097 saec. VI/VII fol. 77—78. Nihil habet nisi provinciarum atque episcoporum nomina, dioeceses ('*chorepiscopus*' quoque) omittuntur.

Collectio Hispana cf. Maassen p. 667 sqq., supra p. IX.

Z^1 = Tolet. XV. 16. anno 1034 scriptus.
Z^2 = Tolet. XV. 17. anno 1095 scriptus.
Consensum eorum *Z* littera significavi.


Gonzalez, cuius editione utor (cf. supra p. IX), laterculo haec praefatur p. 13 adn. 56: „Praefationi conciliorum

1) Codicem Vercellensem non inspexi. 2) Eodem fere modo ut in codd. *MS* episcopi a dioecesibus sunt seiuncti.

imperfectus atque corruptus praeponitur in codicibus Toletanis catalogus, quaedam nomina patrum, qui Nicaenae interfuerunt synodo comprehendens; quumque praepostero locatum ordine invenissemus, accuratissime describere atque ad hunc aptiorem locum traducere satius duximus. Idem episcoporum ante praefationem catalogus aderat etiam in codice Lucensi." Nominum seriem *Z* perturbatam exhibet atque ita dispositam[1]): 1—2. 51. 3. 19. 6. 20. 4. 21. 7. 22. 5. 23. 8. 24. 9. 25. 10. 26. 11. 27. 12. 28. 13. 29. 30. 14. 31. III. 15. 32. 16. 33. 17. 34. 18. 35. V. 36. 38—45. VI. 37. 46. 74—78. VII. 47. 81. 48—50. XI—80. 82—85. 52—66. VIII. 73. 67. 68. 69—72. IX. 110—119. 86—99. XVI—105. XVII—109. 142—144. XXIII. reliqua desunt.

Ab *XY* longius recedit *Z*, cf. imprimis 3. XXIII. Z^2 quominus ex Z^1 pendere credas impedit 90, de cetero corruptelis tantum a Z^1 differt.

Quare hoc delineo stemma:



Iam quomodo quattuor quas discrevimus familiae inter se cohaereant breviter exponam. I II a III IV secernendas esse apertum est cf. I II 15. III 4. IV 14; I II III 17. IV 16; I 55. II 54. III 62. IV 59; I II 62. III 61. IV 58; I 63. 72. II III 63. IV 60; I 75. II 74. III 73. IV 71; I 86. II 85. III 84. IV 81; I 93. II 92. III 91. IV 88; I 102. 104. II 100. 101. III 103. 104. IV 98. 99; I 119. 120. II 115. III 116. IV 109; I 123. II 118; I 135. II III 130. IV 122; I 136. II III 131.

1) Quam aliqua ex parte eo ortam esse manifestum est, quod duae columnae coniungebantur.

IV 123; I 144. II 140; I 154. II 151. III 149. IV 141; I 159. II 158. III 157. IV 148. Ex quo fieri non posse, ut una familia sola boni aliquid habeat, colligimus. Atque I 110 quanti aestimandum sit nescio, sed vereor ne sit dittographia ut 63 (cf. 72). 188 II *diocesis*, I III *pariciae*, om. IV, sed in archetypo exemplari παροικία ad διοίκησις adnotatum fuisse suspiceris. XV: III *elenoponti, diosponti* rel., sed in archetypo utrumque fortasse provinciae nomen positum erat aut potuit certe elenoponti a scriba graeco mediocriter erudito substitui. Quod idem factum esse potest III 20, ubi III *paractonium*, rel. *paratonium.*[1]) III 37 recte *asclepas*,[2]) rel. *asclepius*, sed usitatiorem formam in genuinae locum ter irrepsisse a verisimili non plane abhorret.


I 197 III 196 om. II IV, II III 202 om. I IV; quod casu factum esse eo facilius mihi persuadeo, quia in IV tot hiant lacunae. Praeterea priore illo in loco *georgio* antecedit *gorgonius*, *prusiadi prusa*. Item casu I 176 IV 164 omissum puto *isauriae*. 122 quod II III consentiunt in corruptela *elium*, apographa graeca confudisse Ἥλιον atque Ἴλιον tenendum est.

Sed adsunt quae simili modo explicari nequeunt: I 134 *thomasios* IV 121 *themasius* II III 129 *ethcomasius ethymasius* et quod gravius I 186 *slistron* IV 173 *ilistris* II 186 III 185 *alistrensis*, cui oppido nomen Ἴλιστρα. Quibus locis familiam III secundae familiae exemplar graecum inspexisse existimo, ex quo et quas interdum adnotat varias lectiones deprompsit cf. 17. 149. 157. Quarta familia sola habet *gurdianum chorepiscopum* (170). De quo quid iudicandum sit nescio. Sed quae in solis codicibus Toletanis reperiuntur 3 *papnuntius de aegypto* 35 *maioma* certe non inerant in harum quattuor familiarum exemplari archetypo, sed ex alio fluxere catalogo.

---

1) Praeter solitam formam Παραιτόνιον etiam Παρατόνιον in usu erat cf. Hierocles ed. Burckhardt 733, 5. Parthey notit. I 801. Georg. Cypr. ed. Gelzer p. 142. 2) cf. Marci Diaconi vita Porphyrii ed. Bonnens. p. 18, 8.

Hoc igitur habemus stemma:



Apparatum criticum exhibeo plenum. Neque vero adnotavi *-e* pro *ae*, *-ae* pro *-e*, *corepiscopus* pro *chorepiscopus*. Primae familiae nomina si in aliquo codice desinunt in *-os*, haec recepi, varia lectione *-us* neglecta; excipio dioeceses in adiectivi latini formam redactas, quas terminavi in *-us*, neglecto *-os*. Quartae familiae codices Toletani (*Z*) dioecesium nominibus *de*, provinciarum *de provincia* semper praeponunt. *Y* omittere dioecesium nomina iam commemoravi.

Numeros ego addidi.

Argentorati.

Otto Cuntz.

Cap. II.

De contextu Graeco.

Satis mirum est quod apud Graecos Nicaenorum patrum memoria fere omnis intercidit. Canonum enim collectiones, quarum amplissimus numerus in bibliothecis conditur, disciplinae ecclesiasticae regulas, concilio Nicaeno sancitas, proferre solent; patrum vero subscribentium nomina non addunt. Unus Theodorus Lector Constantinopolitanus Iustini et Iustiniani aequalis in ecclesiasticae historiae compendio ex Socratis, Sozomeni, Theodoreti operibus composito patrum Nicaenorum nominibus locum tribuit.

Extat Theodori index in codice Marciano 344 fol. 36ᵘ—38ʳ. Est codex chartaceus saec. XIII. Prima libri folia desunt. At primae libri paginae quae numerum non habet Bessario inscripsit: *θεοδώρου ἀναγνώστου ἐκλογὴ ἐκ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἱστοριῶν: — κτῆμα βησαρίωνοσ καρδηνάλιοσ τοῦ τῶν σαβίνων καὶ νικαίασ: —* Librum meo rogatu Io. Tschiedel contulit, ipse 1895 iterum examinavi. Indicem primus publici iuris fecit I. Morelli: bibliotheca divi Marci. Bassani 1802 I pag. 223 sq. Nomina indicum more solito secundum provincias disposita sunt. De ratione quae inter Graecum et ceteras recensiones intercedit postea disputabimus. Unum hoc addam iam Theodorum conquestum esse multa nomina in libro a se adhibito non extare his verbis: *τοσούτων μὲν τὰ ὀνόματα εὑρεῖν ἠδυνήθημεν, τῶν δὲ ἄλλων τέως οὐχ εὕρομεν.* Quod non ita interpretandum est, Theodorum lacunoso indicis exemplari usum esse. Provinciarum enim indices cum graecus tum alii paullo plus CCXX nomina exhibent. Ille vero historiae ecclesiasticae peritus CCCXVIII Nicaeae fuisse patres pro certo habuit. Inde indicis condicio integra ei esse non videbatur. In codice Marciano librarii neglegentia nonnulla nomina omissa sunt; caput Ciliciae et Pisidiae provinciae initium desiderantur; ob eandemque causam duo

Phoenices et duo ultimi Bithyniae praesules praetermissi esse videntur. Nomina nonnumquam corrupta traduntur.

Graece praeter Venetum et alter patrum Nicaenorum index extat: codicis Vaticani Regii 44 saec. XIV qui fol. 242r—242v CLXV nomina exhibet. Descripsit I. Tschiedel. Nomina LXIV fol. 242r et E. Maass transcripsit. Utor apographo Erici Pernice, ab Ottone Cuntz mihi transmisso. Quae exemplaria cum nonnullis locis inter se differrent, ab Erico Klostermann Romam profecturo petivi, ut librum iterum inspiceret. Cuius comitati indicis litteris perparvis et propter compendia licentius ficta lectu difficilibus scripti exemplum correctum debeo. Index Vaticanus tribus columnis scriptus est; nomina vero non secundum columnas, sed secundum versus disposita sunt, ut ex primis antistitum nominibus apparet:

σήλβεστροσ ῥώμησ	*εὐστάθιοσ ἀντιοχείασ*	*μακάριοσ ἱεροσολύμων*
κυριακὸσ καὶ σπηρίδων τριμυθούντων	*ἀγάπιοσ σελευκείασ*	*φίλιπποσ ἐφέσου*
γάιοσ θμουαίωσ	*κερῶν ξήστου*	*λάχνησ βερωνίκησ κτλ.*

Vides primo loco sedium patriarchalium praesules collocatos esse praeter Alexandrum Alexandriae qui locum XV demum obtinuit. Qui ordo episcoporum necessitatis quodam vinculo cum illo coniunctus est quem versio Arabica praebet. Hic enim simili modo Romae, Constantinopolis, Antiochiae, Hierosolymorum, Alexandriae praesules principem synodi locum obtinent. Post sedes primarias nulla provinciarum ratione habita reliqui episcopi enumerantur. Quamvis certo certius sit, Nicaeae episcopos non eo ordine subscripsisse quo in provinciarum indicibus enumerantur, nemo tamen pro genuinis subscribentium antistitum catalogis vel Arabicum vel Graecum hunc indicem habebit. De Arabica versione pessime nominibus adulterinis deformata iudicium iam diu constat; idem autem de Graeco contextu valet. Suspectum est nomen in initio positum Silvestri Romani, suspecta sunt alia nomina haud rara.

Accedit quod nomina permulta bis ponuntur, ita ut liqueat auctorem — aeque atque Arabici indicis confectorem — ex diversis catalogis opus suum contaminasse. Unus ex fontibus quem Graecus auctor adhibuit fuit index nomina secundum provincias disponens. Quod nomine LXXXV probatur, ubi haec habemus:

Vaticanus Graecus:	Venetus Graecus:
ἀφροδήσιοσ Νεσαδῶν	*ἀφροδίσιοσ μαγύδων*
	νήσων
	εὐφρόσυνοσ ῥόδων κτλ.

Auctor oculis aberrans ex nomine *μαγύδων* et sequenti provinciae titulo *νήσων* vocem corruptam *νεσαδῶν* confecit. Inde certum fit indices illos qui provinciarum ordinem neglegunt a serioris aetatis hominibus excogitatos et adornatos esse.

Nomina plurima libri Vaticani foede corrupta et prorsus barbara sunt; scriba homo Graecae linguae parum doctus fuisse videtur: cf. *Τράνος Ἀτιανῶν* pro *Τύραννος Αντινόου* vel *Νικήτας Παλανδάδος* pro *Νικήτας Φλαβιάδος*. Inde verisimile fit auctorem adhibuisse archetypum vel Syrium vel Arabicum, quod uti potuit in Graecam linguam vertit. Maxima pars nominum quae in indice Vaticano extant ex catalogis secundum provincias dispositis desumpta est. Sed restant nomina viginti septem, in provinciarum indicibus non commemorata. Quae omnia ficta et supposita esse mihi persuadere non possum. Nullius certe momenti est quod nonnulla horum nominum et in Arabico catalogo occurrunt, cum ipse ille catalogus admodum dubiae sit fidei. Gravius est quod quattuor episcoporum nomina etiam Coptico indici inserta sunt, scilicet Petri Heracleopolis, Dioscori Antaeopolis, Zenodori Antaradi, Ballai Theleae. Unde cum quadam probabilitatis specie conicere licet praeter provinciarum catalogum alio fonte haud spernendo, quem et Arabs interpres adhibuit, auctorem usum esse. Ex duobus igitur illis indicibus et suis vel aliorum inventis catalogum consarcinavit. Contextum levissimis tantum itacismi erroribus emendatis ita

dedi, ut in libro scripto extat. Vera enim nomina reponere facile fuit negotium; sed periculum subiissemus ne auctoris ipsius verba emendaremus. In margine inferiore numeros catalogi cum Graeci (V) vel eo deficiente aliorum numeris composui, ita ut lector facile unde sua habeat auctor cognoscere possit.

Numero V indicem Venetum, VI Vaticanum notamus.

Cap. III.

De versione Coptica.

Versionem Copticam indicis Nicaeni detexit Georgius Zoëga. Sunt folia novem lacera Musei Borgiani quibus editor numerum CLIX praefixit. Continent partem actorum Nicaenorum et indicem patrum cui finis deest (cf. catalogum codicum Copticorum manuscriptorum qui in Museo Borgiano Velitris adservantur auctore Georgio Zoëga Dano Romae 1810 p. 242 sq.). Post mortem Stephani cardinalis Borgia lite orta inter heredes et congregationem de propaganda fide pacto convenit, ut pars codicum congregationi, pars heredibus adiudicaretur qui libros Neapolim vendiderunt. Eugenius Revillout, vir de actis concilii Nicaeni Copticis optime meritus, Neapoli in bibliotheca nationali alteram partem codicis repperit, quem iam Zoëga descripserat (est codex CCXXXIX cf. Zoëga l. c. p. 573); verum virum doctum fugit haec quoque fragmenta ad acta Nicaena ab ipso detecta pertinere. Quibus fragmentis inter se compositis E. Revillout librum fere totum restituere potuit. Acta vero illa Coptica non sunt concilii Nicaeni, sed synodi a S. Athanasio a. p. Chr. n. 362 habitae, qua fides Nicaena sollemniter repetita et rite promulgata est. Eadem acta Coptica praebet liber Taurinensis vetustate multo praestantior quem et ipsum E. Revillout in lucem protulit. Nobis vero nullius pretii est, cum patrum nomina non praebeat. Zoëgae liber X

vel XI saeculo scriptus esse videtur (cf. E. Revillout revue des questions historiques 1874 p. 351 n. 1). Patrum nomina scripta sunt a p. 21 usque ad p. 26. Liber ex laceratis foliis compositus multas lacunas habet, sed et nova nomina addit, ceteris versionibus ignota; ultima eius pars inde a provincia Pamphylia deperdita est. Ediderunt Zoëga l. c. p. 243—246; C. Lenormant in spicilegio Solesmensi I p. 516—519; E. Revillout, le concile de Nicée, Parisiis 1881, p. (17)—(22).

Versionem Latinam Zoëgae me rogante G. Steindorff diligentissime retractavit. Consilium fuit quam accuratissime verborum Copticorum vestigia sequi. Verum cum nomina propria in vertendo plane immutata et integra conservare non possimus, urbium et hominum vocabula coptice, Latinis autem litteris transcripta, adieci, ne lectori de vera contextus Coptici forma tenuissimus scrupulus restaret. Provinciarum vero nomina non transcripsi exceptis tamen iis quorum forma ab usu recedit. Haec uncis inclusa adieci. Contextum ita adornavi, ut in pagina sinistra versio Coptica, in paginae dextrae priore columna transcriptio Coptico-Latina, in altera versio Latina poneretur.

Copticam versionem numero VII insignivi.

Ienae m. Octobri 1897.

Henricus Gelzer.

Cap. IV.

De versione Syriaca.

A. De indice Coenobii Nitriensis.

Littera d designavi partem primam codicis Musei Brittannici add. 14528 exarati initio saeculi VI. Continet enim tres libros diversos in unum volumen colligatos, atque ff. 1—151 leguntur canones ecclesiastici 8 conciliorum collecti, quibus interiecta sunt Patrum Nicaenorum nomina

f. 18[a]—25[a]. Libri auctorem nescimus. Accuratius hunc codicem descripserunt B. Harris Cowper in analectis Nicaenis, Londini 1857, p. III et IV et W. Wright in libro Catalogue of syriac manuscripts in the british museum acquired since the year 1838, Londini 1870—72. tom. II p. 1030—33. De reliquis codicis partibus agitur tom. I p. 176—77.

Inde nomina illa typis describenda curavit B. Harris Cowper in libro laudato p. 5—18 et anglice vertit p. 23—28 additis adnotationibus. Versionem tantum hic illic emendatam recepit in librum, qui inscribitur „syriac miscellanies", Londini 1861, p. 8—13, ibi quoque adiectis adnotationibus.

Iterum indicem Syriacum I. B. Pitra edidit in analectis sacris spicilegio Solesmensi paratis t. IV p. 234—37 atque latine vertit p. 459—62.

At Londinium profectus ipso codice inspecto cognovi ab utroque editore non semper litteras recte esse lectas, etsi luculentissime sunt omnes scriptae vixque ullo loco dubitari potest quaenam significetur et optime ibi index est servatus. Itaque ubi haec editio discedit a prioribus, puta illos viros doctissimos errasse. Multo saepius erraverunt in addendis vocalibus, quas praeter matres lectionis codex habet nullas, quoniam nescierunt nominum rectas formas alibi servatas.

In codice f. 151 a legimus omnia quae antecedunt e sermone Graeco esse conversa. Certe haec nomina Graecum prae se ferunt colorem, atque plerumque tam anxie transcriptae sunt litterae, ut in urbium nominibus etiam genetivi formae diligenter sint servatae, velut 7. *Ἡρακλέους*, 16. *Βερενίκης*, 18. *Ἀντιπύργου*, 39. *Καπετωλιάδος*, 85. *Νερωνιάδος*, 116. *Ἀμάστριδος*, 129. *Σάρδεων*, 148. *Νεασπόλεως*, 150. *Λιμένων*. Tamen semper praemissa est etiam ܕ = d, nota genetivi Syriaci. Sed occurrunt etiam nominativi, velut 66. *Νεοκαισάρεια*, 73. *Φιλαδέλφεια* similia. Rarius legimus statum emphaticum syriacum perperam derivatum a genetivo Graeco, velut 112. Trapezuntā, 113. Pityuntā etc. Semel scriptor videtur adiectivum a nomine urbis deri-

vatum sumpsisse pro urbis nomine, habet enim 23. *Σεβαστηνός* praeposita genetivi nota.

Neque vero semper omnia tam perspicua sunt, praesertim quas Syrus legerit vocales interdum difficile est cognitu, cum ad vocales diversas transcribendas eisdem non semel usus sit signis. Ut exemplum adferam, non solum pro ω et ο scripsit ܘ = w, sed etiam pro α, cfr. 41. ܐܢܘܣ *Αἰνείας*, quin etiam pro η in 87. ܢܩܛܘܣ *Νικήτης*, 204. ܦܪܘܛܓܠܢܘܣ *Πρωτογένης*. Similem in modum ܐ = ʼ positum est non solum pro α, sed etiam pro ο, ω, ε, ι, ut dubium sit, utrum 124. ܐܠܝܢ sit *Ἐλειῶν* an *Ἐλιανοῦ* an *Ἴλιον*. Accedit quod interdum nomina apud Syros usitata attulit loco Graecorum, velut 22. Šamrin pro *Νεάπολις*, 36. Baišan pro *Σκυθόπολις*, 41. ʿako pro *Πτολεμαίς*, 47. Tadmor pro *Πάλμυρα*, 64. Ḥamat pro *Ἐπιφάνεια*. Quibus de causis non semper apparet, quas formas Graecas Syrus legerit in archetypo.

B. De Ebediesu indice.

Alium Patrum Nicaenorum indicem Ebediesu Sobensis metropolita clarissimus († 1318) recepit in collectionem canonum synodicorum contineturque ibi libri I tract. I cap. 5. Huius libri tres codices asservantur Romae in bibliotheca Vaticana, e = syr. 128 exaratus anno Christi 1557 et f = syr. 129 exaratus Bagdadi anno 1331, et syr. 355, antea Assemani 98 descriptus ex f (cf. A. Mai scriptorum veterum collectionis novae tom. V part. 2. p. 38. In tom. X p. VIII prioribus duobus falso attribuuntur numeri 129 et 130).

Codicibus e et f usus Aloisius Assemanus metropolitae librum latine vertit, quam versionem Angelus Maius edidit l. c. tom. X p. 1—168. Index ille ibi invenitur p. 37—40. Neque vero hic est Assemani index. Confitetur enim editor, se ad corrigenda nomina coactum fuisse consulere Theodori Lectoris indicem. Sed quoniam omisit ullas addere notas, forma a Syro tradita inde cognosci nequit. At Assemanus

in ea praefationis parte, quam A. Maius edidit l. c. p. VII. VIII, doluit se quartum codicem in collegii urbani bibliotheca asservatum, quem ipse antea viderat, cum verteret librum non iam invenire potuisse. Hunc invenisse sibi videbatur A. Maius eoque potissimum usus versioni Assemani addidit etiam textum Syriacum, atque indicem ibi legimus p. 204—207. Nunc vero videtur nescio quo casu iterum periisse. Nam cum indicem edendum suscepissem, ab Ignatio Guidi, viro clarissimo, petii ut codices Romanos curaret conferendos. Quod is qua esse solet comitate libentissime ipse fecit socio assumpto Patre Gomil, quartum vero codicem non invenit. Itaque, quoniam tertius ille congruit cum f, duobis illis Vaticanis e et f contentus eram. Mai autem index tam paucis locis differt ab f, ut audacius contenderem ex hoc potissimum fonte eum hausisse, nisi nonnullas reliquisset lacunas, quae ibi expletae sunt. De codicibus o et p vide addenda p. LXXI.

Ebediesu quo ex fonte hausisset indicem memoriae non prodidit. Sed Graecum fuisse etiam huius archetypum luce clarius est. Nam etiam in hoc, ubi non corruptus est, formae Graecae plerumque adeo sunt servatae, ut nomina accurate transcripta Graeca fiant. Tamen a codicis d indice hic diversus est. Nam et addita in eo sunt nomina 82. 83. 84. 157. 158 et desunt illius nomina 103. 137 et alio loco sunt posita 48 et 49, 102—105, 184—192, 216. Quod omissa sunt provinciarum nomina VIII. Arabiae et XX. Phrygiae et confusa sunt 141 et 142, magis librario culpae tribuerim. Deinde semper fere, ubi ille attulit nomina Syriaca, hic retinuit Graeca, quod factum est in omnibus nominibus supra p. XXIV a me allatis. Tum genetivi Graeci formas rarius Ebediesu servavit, saepius ita mutavit ut addita littera ܐ efficeret statum emphaticum Syriacum. Scribit enim 39. Capetoliada, 88. Neroniada, 151. Limena similia, neque vero semper sibi constat.

Consonantium transcribendarum eadem fere uterque scriptor usus est ratione. Magis differunt in reddendis vocalibus. Rarius enim hic illo posuit matres lectionis,

saepius ܣܣ scribit pro $\alpha\varsigma$ et $\eta\varsigma$, ܝ = j et ܘ = w promiscue adhibuit pro ι et υ etc. Maxime vero eo inter se discrepant, quod in d nomina optime sunt servata, cum in Ebediesu catalogo adeo sint corrupta, ut A. Maius desperaret ea ullis coniecturis ad aliquam sanitatem posse revocari. Multae et additae sunt litterae et exciderunt, imprimis ܝ = j, minima Syrorum littera, passim litterae similes inter se sunt permutatae velut ܐ = ' et ܙ = z, vel ܝ = j et ܢ = n et ܠ = l, vel ܪ = r et ܕ = d.

Neque tamen prorsus desperandum est. Saepius enim in eis quos ille non vidit codicibus recta inveniuntur vel collatis omnibus inter se et cum ceteris indicibus cognoscitur quid legi voluerit scriptor. Itaque etiam ubi consentiunt omnes paulo audacius nonnulla conatus sum mutare neque vero alia quam quae putavi aut librarii aut scriptoris Syriaci culpa esse corrupta. Addidi praeterea transcriptionem et versionem Latinam.

Sed ne iustum modum excederet apparatus criticus, certis signis usus sum, quibus indicaretur, quaenam adhibita essent remedia. Itaque quae aut addenda videbantur aut eicienda, uncis solitis inclusi. Quotiens ܝ = j et ܢ = n a me in nominibus Syriacis sunt permutatae vel ܕ = d et ܪ = r, litterae j et n vel d et r inclinatae leguntur in transcriptione. Huius generis errores si in parte tantum codicum inveni sicut alia quae minoris momenti erant plerumque neglexi. Quae his remediis lenissimis sanari non potuerunt, etsi certe falsa esse iudicavi, utroque loco recepi atque adeo repetii in versione Latina, at in notis dixi quod nomen significaretur. Versio quoad fieri poterat congruit cum contextu Syriaco a me recepto. Etiam Graecas formas, quas Syrus retinuit, retinui: solum ubi ille syllabas finales mutavit, genetivi Latini formas praebere conatus sum.

In priore indice edendo optime servato apparatus critici amplitudinem nimiam non timebam, tamen eandem viam ingressus sum. Utrique indici numeros ipse addidi.

Cap. V.

De indice Arabico.

Indicem arabicum iam edidit Ioannes Seldenus in commentario ad Eutychii Alexandrini de ecclesiae suae originibus librum, Londini 1642, p. 90—114. Descripserat eum Edwardus Pocockius (cfr. l. c. p. 88) e codice Thomae Roe 26, quem g appello. Is asservatur Oxonii in bibliotheca Bodleiana eo advectus a̅o̅ 1628. Cfr. Bibliothecae Bodleianae codicum manuscriptorum orientalium catalogi partis secundae vol. I. conf. Al. Nicoll. Oxonii 1821, p. 32—46, et vol. II ed. E. B. Pusey, Oxonii 1835, p. 498[b]. Continet anonymi collectionem canonum ecclesiasticorum Arabice versorum, in qua symbolum Patrum Nicaenorum sequuntur nomina 318. Auctor libri diu creditus est fuisse Iosephus Aegyptius, qui in praefatione narrat se presbyterum esse ordinatum a̅o̅ 1398. Sed iam Renaudotius cognovit, hanc non tam praefationem esse quam notitiam possessoris, versionem ipsam igitur ab alio esse factam, cuius nomen nescimus. (Hist. patriarchh. Alexandr. p. 77.) Addit eiusdem collectionis codices multo antiquiores Parisiis esse, sc. duos regios unumque Colbertinum. Sed Dr. I. B. Chabot, vir doctissimus atque humanissimus, a quo petieram ut illos conferret codices, diu bibliothecam nationalem Parisinam perscrutatus mihi respondit, non dubitari posse, quin Renaudotius intellegeret codices Colbertinum 4077, nunc bibl. nat. 235, et regium 127, nunc bibl. nat. 234 (XIII s.) et regium 118, nunc 236 (XV s.), ibi vero numerum tantum inveniri episcoporum, nomina deesse. Neque in reliquis illius bibliothecae codicibus Arabicis huc pertinentibus quidquam legi nisi numerum.

Ad unum igitur codicem g redactus eram. Totus liber scriptura grandiore et luculentissima est exaratus. In indice episcoporum nomina rubro colore sunt scripta, civitatum atro. His ubique fere praefixa est syllaba al, qui est articulus Arabicus. Multis locis leguntur etiam

adiectivi more Arabum derivati ab urbium nominibus velut الاسكندراني 2. Alexandrinus, القسطنطيني 3. Constantinopolitanus etc. Rarius praemissa est praepositio من ex et nomen ipsum Arabice versum, velut 31. 232. 255: ex Caesarea nova, cfr. 6. 41. 317. Sed multo saepius scriptor conatus est alieni sermonis formas integras recipere tamquam genetivos Arabicos. Haec vix intellegi possunt nisi collatis ceteris indicibus. At difficillimum est eos conferre. Nam in hoc et multo plura nomina leguntur quam in illis et longe alio ordine disposita. Vellem igitur alium saltem codicem conferre potuissem. In hoc enim quem ipse contuli index scatet mendis plurimis.

Rarissime positae sunt vocales, puncta diacritica, si omnino addita sunt, falsis locis inveniuntur, litterae similes inter se sunt permutatae. Eadem igitur littera potest esse b, t, th, n, j, nisi errore librarii mutata est ex m vel f, quod non semel pro p scriptum est; accedit quod tres huius generis litterae facillime in unum س vel ش coaluerunt, ut taceam ر = r (vel ز = z) confundi cum و (= w), ن = n finale cum س = s etc. Tamen hi errores facilius cognosci et emendari possunt, si archetypi alius linguae litteris scripti verba recte legit is, qui vertit, neque in illo iam menda erant.

Videtur autem archetypum scriptum fuisse Syriace. Certe plurima nomina Graece sapiunt atque adeo genetivi Graeci formas retinuerunt, velut: 14. *Ἀντέον*, 107. *Ἀρεθούσης*, 191. *Ἐμίσης*, 243. *Βάρεως*, 267. *Λιμένων*, 277. *Ἀμάστριδος*. Sed etiam Syriaci indices ex Graecis fontibus hausti sunt. Neque puto quemquam Arabem pro syllaba Graeca ᾱς posuisse وس velut in 91. *Ἐπιφανείας*, 153. *Θεσσαλίας*, sed اس, vel pro ης velut in 15. *Βερονίκης*, 222. *Ἀγαθογένης*, sed يس, quod utrumque factum esse a Syris supra diximus. Iam mirum non est litteras ك (= k) et ف (= f) inter se esse permutatas (cfr. Rukus pro Rufus 214. 232), sunt enim Syriace ܟ et ܦ; vel ن (= n) et ك (= k), Syriace enim scribuntur ܢ et ܟ (cfr. Asakōn pro Asanōn 114);

vel ر (= r) et د (= d), Syriace ܪ et ܕ (cfr. 34. Disainōn pro Risainōn).

Hos tot errorum fontes si reputabimus, ignoscemus Seldeno, quod paucissima recte legit nomina. Nam nisi ceterorum indicum ratione habita pleraque vix legi possunt. Ut pauca adferam exempla. Quod ille vertit Panacrensis, cum sequenti Paulus coniunctum legendum est النيكوبولص 19. *Νικόπολις*. Quod Seldenus legit Nestus Abnon, sine dubio est فسطوس الاثنون 54. *Πιστός Ἀθηνῶν*. Pro Bacharensis legendum est الليكوا 166. *Λυκῶ*. Laius potius est لانتيوس 204. *Λεόντιος*, Chisanus est كينتيانوس 287. Quintianus etc.

Quid quod Arabs ipse sua nomina non intellexit? Multa enim aliter scripta repetit, velut 4 = 63, 28 = 179, 34 = 241, 48 = 161, 49 = 153, 50 = 111, 60 = 199, 64 = 120, 68 = 295, 75 = 276, 82 = 308, 99 = 189, 114 = 292, 128 = 196, 129 = 195, 131 = 254, 151 = 259, 164 = 141/2, 183/4 = 261, 205 = 275, 208 = 211/2, 210 = 240, 214 = 232, 228 = 231, 252 = 318. Nonnulla ter inveni, velut 71, 210, 240; 100, 163, 104.

Itaque nescio an ex tribus indicibus hic sit compositus. Inde factum est, ut longe uberrimus sit. Habet enim nomina 318, ut plenus sit numerus episcoporum ubique traditus. Seldenus quidem 307 habet numeros. Tot enim in codice sunt rubricae. At ille iam vidit, saepius sub una rubrica duo vel tres legi episcoporum nomina, eisque seorsum numeratis 318 episcoporum numerum compleri (l. c. p. 115). Non me fugit in enumerandis nominibus nonnumquam errasse librarium. Nam Pauli nomen 20 et 122 potius legendum est polis et cum antecedenti nomine urbis coniungendum, contra 88 pro polis legendum est Paulus, cuius nomen quo pertineat non apparet, nisi statuimus ex sequenti nomine id esse repetitum. Item 183 + 184 unum sunt et 142 nomen episcopi adnexum est civitatis antecedentis nomini. Deinde inter nomina Timothei 211 et Cybiston 212 civi-

tatis alius irrepsit nomen, quo accidit ut Cybiston et Colonias 213 quasi virorum nomina sint scripta et posita. Similes suspicor errores latere etiam in aliis vocibus, quas legere nondum potui. Sed quot huius generis errores et qui irrepserint, hac ipsa de causa dicere nequeo. Itaque eos retinui numeros, quos sine dubio numerari voluit scriptor, etsi nullos adiecit.

Nam in hoc quoque indice edendo id potissimum egi, ut corrigerem librarium, non scriptorem. Ceterum ut quae a me essent emendata, quae tradita, facilius dignoscerent legentes, hunc secutus sum modum: Primo loco indicem Arabicum cum omnibus quas habet vocalibus et signis diacriticis, sed etiam cum omnibus mendis typis describendum curavi. Quotiens recessi a Seldeni editione, mihi videbar accuratius legisse codicem. Deinde nomina omnia ita transcripsi, ut ceteris signis et vocalibus prorsus neglectis puncta diacritica sola fere mutarem, ubi res postulabat. Litterae vero sic mutatae inclinatae sunt. Non mutatas esse iudicavi eas, quas, cum omnibus punctis diacriticis carerent, quasi meo iure sumpsi eis instructas quae recta existimo. Itaque quae in altera columna mutata sunt, vix coniecturae sunt appellandae. Denique addidi versionem latinam, qua ad archetypum quam maxime accedere conatus sum. Quae ibi inclinatae leguntur litterae, a me positae sunt pro similibus in codice et in transcriptione servatis. Solum pro ص, ض, ط, ظ, quae promiscue positae sunt pro d et t, semper meo arbitrio eam, quae in contextum quadrat, supposui, neque litterarum ن et س finalium a me passim inter se permutatarum ullum signum necessarium esse duxi. His exceptis tertia columna accurate respondet alteri, nisi quod semper civitatum genetivos posui, etiam ubi Arabs adiectivum praebet. Quotiens longius a codice recessi typis solitis usus interrogationis signum addidi; quae nomina non intellego, tamen sic ut legenda esse videntur in versionem recepi, eorum loco, quae ne legi quidem possunt et punctis diacriticis et vocalibus deficientibus, asteriscos posui. Postremo ut etiam

commentarii munere fungeretur versio, adiecti sunt ceterorum indicum numeri his respondentes. Quotiens dubium est utrum idem nomen utroque loco sit intellegendum necne, numero addidi interrogationis signum.

Ienae m. Octobri 1897.

Henricus Hilgenfeld.

Cap. VI.

De versione Armenia.

Armeniorum innumeri libri concilii Nicaeni canones exhibent. Minor vero numerus eorum librorum est qui fidei regulis patrum Nicaenorum nomina adiungunt. Duae ut demonstrabimus codicum familiae sunt. Deterioris classis libri originem ducunt ex codice archetypo uno initio XI saeculi conscripto. Erat canonum collectio quae in usum Kamsarakanensis ecclesiae facta esse videtur.[1] Praebet enim catholicorum Armeniorum et episcoporum domus Kamsarakan series quarum prior ad Sergium (Sargis) catholicum deducitur his verbis (cf. cod. Berol. = k fol. 290r): Իսկ Գագիկ շահանշահ ժողովեալ զամենայն եպիսկոպոսունս եւ զհարս՝ ձեռնադրեն զտէր Սարգիս հայրապետ յաթոռ սրբոյն Գրիգորի, որ էր Հայ թուականին նխա, իսկ ի ծննդենէն փրկչին ջղէ, եւ ի զկզբանց անտի ցնծէ։ սա նմանեալ սրբոյն Գրիգորի Հայոց լուսաւորչի։ — „At vero Gagik rex regum omnes episcopos et patres congregavit, et ordinaverunt patriarcham dominum Sargis in sedem S. Gregorii

---

1) Accuratam totius collectionis descriptionem exhibent: Handschriftenverzeichniss der K. Bibliothek zu Berlin X Verzeichniss der armenischen Handschriften von Dr. N. Karamianz, Berlin 1888, p. 41 sq. — Catalog der armenischen Handschriften in der Mechitharisten-Bibliothek zu Wien von P. Jacobus Dr. Dashian, Wien 1895, p. 133 sq.

quod factum est aerae Armeniae anno 441 (= 992 p. Chr. n.), a nativitate autem salvatoris a. 997 et ab initio (mundi) a. 6417. Iste similis factus est S. Gregorio Armeniorum illuminatori." Quae verba probant, librum Sergio catholico (992—1019 p. Chr. n.) regnante exaratum esse.

Ad patrum Nicaenorum contextum Armenium constituendum codices praesto fuerunt hi:

1) Codex Edžmiacinensis I (h) chartaceus, librorum omnium quibus usus sum, vetustissimus; scriptus est egregio medii aevi ductu qui *շղագիր* (šlagir) appellatur. Neque annus quo scriptus sit neque librarii nomen indicantur.

2) Codex Edžmiacinensis II (i): scriptus est, ut reliqui libri omnes quibus usus sum, ductu recenti *նոտրագիր* (notragir) appellato. Liber anno aerae Armeniae 1114 (= 1665 p. Chr. n.) a Ioanne religioso (*Յովհաննէս աբեղայ*) exaratus est. Libri h laterculum, additis variis codicis i lectionibus, descripsit P. Dr. Karapet Ter-Mkrttschian, archimandrita Edžmiacinensis, mihique summa cum liberalitate transmisit. Praeterea alius libri varias lectiones mihi praebuit qui a. 1757 in urbe Astrachan confectus est. At cum nisi vitiis quibusdam a libro i non differat, ex illo libro descriptus esse videtur: quamobrem varias codicis Astrachanensis lectiones praetermisi.

3) Codex Berolinensis (k) 54 ol. Ms. or. Peterm. I 34 (cf. Karamianz l. c. p. 41 sq.) chartaceus; patrum Nicaenorum nomina habet fol. 281[v]—286[v]; scriptus est liber anno aerae Armeniae 1100 (= 1651 p. Chr. n.) Beroeae (Haleppi) a Chačatur scriba. Codicem quem Bibliothecae Regiae Berolinensis praefectus Jenam misit, ipse contuli.

4) Codex Venetus (l) conventus S. Lazari Mechitaristarum, notatus „*կանոնագիրք* Ա." (canonum L. I); numerum habet 583 et *Թ*, *Դ* (IX, IV) eiusdem bibliothecae. Continet praeter canones sermones et praecepta moralia. Est codex chartaceus XVI labentis vel XVII saeculi, a diversis manibus binis columnis exaratus scriptura quae *բոլորգիր նոր* 'nova rotunda' appellatur. Patrum

Nicaenorum nomina praebet p. 307—311. Ipse Venetiae degens m. Septembri anni 1895 indicem descripsi; iterum et accuratissime catalogum P. Ioannes Thorossian descripsit et apographon liberalissime mecum communicavit.

5) Codex Vindobonensis (m) Mechitharistarum 256 ol. 44 (cf. I. Dashian l. c. p. 133 sq.) continet inde a fol. 189ª usque ad fol. 191ª nomina patrum Nicaenorum. Scriptus est Constantinopoli XVI vel XVII saeculo. Collationem meo rogatu humanissime fecit et mihi transmisit P. Gr. Dr. Kalemkiar.

6) Codex Parisinus (n) 84 (anc. fonds.) saec. XVII quo ex libro P. Martin in cardinalis Pitrae analectis sacris IV p. 237—240 nomina patrum edidit. Laterculus extat fol. 280ᵛ—284ᵛ. Codicem meum in usum iterum accuratissime contulit A. Carrière.

Libri omnes quos adhibui ex uno codice archetypo originem traxisse constat. Vitia enim eadem omnibus libris communia sunt. Nomen Hosii celeberrimi episcopi interpreti ignotum fuisse videtur, qui ὅσιος adiectivum esse putans 'surb episkopos' 'sanctus episcopus' vertit. Similiter omnes libri habent XI 11 Semphoyē pro Memphoye (= Memphis) XI 24 Gagarayē pro Gadarayē XI 52 Miperios pro Piperios cf. 69, 72, 90, 98, 189, XXVIII.[1])

Codicum autem duas familias constituere licet, unam praestantiorem quae multis locis vera nomina retinuit, alteram deteriorem. Priori adiudicandi sunt libri h et i, alteri klmn. Exempla afferam: Urbis Panephysis primam litteram retinent hi (panphiayē), in m mutant (Mamphisē) reliqui libri. Civitatis Antipyrgi nomen (Antipergosē) recte reddit prior familia, altera habet Antiperdosē. Confer etiam:


1) Mense Februario a. 1898 Karapet archimandrita quae est eius eximia liberalitas duorum librorum collationes ad me misit; sunt codices bibliothecae Edžmiacinensis numeri 761 et 746 notati. Alter in urbe 'Ilow' anno 1635, alter Beroeae a. 1721 scriptus est. Prior simillimus est optimo libro h; codex Beroeensis cum libris deterioris classis convenit. Verum cum contextus Armenius typis iam exaratus esset, varias librorum lectiones in apparatum criticum recipere non potui. Quod incommodum leve est. Novae enim lectiones non insunt.

	hi	klmn
XI 29	Yanuarios	Yanuayios
34	Askłepios	Askepios
92. 103	Kōmanē (*Κωμάνων*)	Kołmanē
130	Standē	Tandē

Quibus exemplis quorum numerus facile augeri potest allatis satis mihi demonstrasse videor priorem librorum familiam alteri bonitate longe praestare. Quamobrem in constituendo contextu codicem h ducem elegi, atque iis locis in quibus manifestis erroribus coactus auctoritatem libri illius postposui, librum i, rarius deterioris familiae codices praetuli. Iam vidimus quattuor libris klmn alteram familiam effici. Quorum codicum Berolinensis cum Veneto et Vindobonensis cum Parisiensi arctiore necessitudinis vinculo coniuncti sunt. Conferas lectiones has:

	kl	mn
XI 16	Dakhos	Dakhēs
19	Taukhlibē	Taukhliubē
48	Theoditos(as)	Theodotios
81	Phlavadē	Phałavidē
83	y Aganē	y Adanayē
149	Evdimos	Evgomos
150	Kałikłis (Kałikos l)	Dałikołios (Dałikłios n)

Hoc igitur codicum Armeniorum stemma efficitur:



Iam oritur quaestio utrum ex contextu Graeco an ex versione Syria patrum Nicaenorum laterculus in linguam Armeniam translatus sit. At videbimus nominum seriem Armeniam ad priores duas Latinorum librorum familias proxime accedere. Itaque quispiam coniciat eis temporibus quo Armenii Cilicienses Francis, Syriam Palaestinamque obtinentibus, concordia coniunctissimi erant, ex Latina in Armeniam linguam indicem esse translatum. Sed vidimus codicem γ Sergii patriarchae temporibus confectum esse. Aetate igitur sacras expeditiones multis annis praecurrit. Ipse autem codex archetypus multo antiquior quam liber γ est. Quamobrem id tantum in dubium vocari potest, utrum ex Graeco an ex Syrio exemplo laterculus Armenius originem duxerit. Atque haec res satis difficilis diiudicatu est.

P. Paulinus Martin ex Syria versione translatum esse indicem Armenium censet. Cuius sententiae astipulabar, cum mihi deteriores tantum libri praesto essent. Neque ad hanc sententiam probandam argumenta desunt. Iam cum Armenii cum Syris monophysitis eandem praedicarent fidem, Nestorianos vero summo odio haberent, manifestum fit, ex exemplo Syrorum occidentalium eos pendere. At recensio monophysitica (index coenobii Nitriensis) toto caelo a versione Armenia differt. Cogimur igitur ut statuamus tertiam quandam versionem Syriam nunc deperditam fundamentum lectionis laterculi Armenii fuisse. Iam singula percenseamus. Cynopolis (*Κυνῶν*) urbs ab interprete Armenio Kēnosē appellatur; quod ita explicari potest: Armenius interpres K'nwn legens prioris vocalis ignarus ita scripsit. Sed res incerta est. Graecus enim praebet ΙΗΝΩΝ ex ΚΗΝΩΝ corruptum. Cui nominis formae religiose respondet Kēnosē. Episcopus Zabulon XI 30 syrie Hljdwrws est, et Hełidoros habent libri kmn, optimus autem codex h Hełiodoros. Syrorum ex usu (cf. VIII 32 Jnwrjs 74 Gndjs 96 'rwtrjs 99 Gwrgwnjs etc.) explicari potest quod nomina nonnulla graece in ιος exeuntia armenie in is desinunt, velut XI 29 Yanuayis k 90 Eusithris hi 111 Pan-

kharis 133 Prokopis mn. Sed terminatio ις pro ιος etiam apud seriores Graecos occurrit (cfr. Hatzidakis Einl. in die neugr. Grammatik p. 314 sqq.; 317 sqq.; Leontios v. Neapolis Leben des hl. Johannes u. Alex. herausg. von H. Gelzer p. 196). Gorgonius Apolloniadis XI 190 y Apołonidosē (klmn) appellatur, quod ex Syrio 'p'lwnjdws explicare quis conetur; sed refellitur haec opinio optimi codicis lectione: Apołoniadosē. XI 169 Agapius Seleuciae episcopus Agapios Słōkē fere omnibus Armeniorum libris est quae nominis forma ex Syria Slwkj' originem ducere videtur. At codex optimus iterum Selowkē (Selōkē) praebet. Et XI 47 Selowkē 142 Siułeukē (v. l. Seleukiē) legitur. Corruunt igitur argumenta quae Syriam Armeniae versionis originem probare videbantur. Contra nonnulla pro origine Graeca pugnant. Syrorum ambae versiones episcopum Coropissi urbis Ḳwrwḳ'swn vel Ḳr'ḳwsjs faciunt i. e. Coracesii. Unde colligere licet Syrorum librum archetypum urbem Coropissum cum Coracesio confudisse. Armenius vero recte i Koropisē praebet. Ex Syrio igitur fonte non hausit. Accedunt alia. Vix Hosium surb episkopos appellasset Armenius, si in exemplari Syrio Hwsjws vel Hsjws invenisset. Qui error facile oriri potest, ubi Armenius interpres codicem Graecum transtulit. Minoris momenti est quod Syrus monophysita urbium Tyri Ptolemaidis Palmyrae Hierapolis orientalia, Armenius vero Graeca nomina reddit. Nam praeterquam quod urbes iam tironibus notae sunt, Syrus Nestorianus Ptolemaidis et Palmyrae nomina Graeca retinet, quod etiam tertius si umquam fuit interpres Syrius facere potuit. Sed nonnullis locis vera nomina praebet interpres Armenius. Quae si laterculo Syrio usus esset, vix coniectura assequi potuit, velut Cyzicenus episcopus XI 117 ei Theōnas (*Θεωνᾶς*) est, Syris T'wn' vel T'wnws. Dein nominis *Ἑτοιμασίου* in omnibus fere recensionibus depravati formam genuinam 'Hetimasios' Armenius interpres XI 126 exhibet quam ex Syrorum 'ṭwmsjs vel 'ṭwm'sjws eruere non potuit. Quamobrem Armenium interpretem exemplum Graecum archetypo familiae I

Latinae simillimum adhibuisse haud improbabile mihi esse videtur.[1])

Orientalium linguarum verba recte transcribere res ardua et contorta est. Incassum in opere conficiendo viri doctissimi et acutissimi desudarunt. Accedit quod homines male seduli argutiis minutisque acuminibus rem confuderunt et in peius mutarunt. Iam qui orientalistae vocantur Genavae congregati a. p. Chr. n. 1895 id efficere studuerunt, ut de transcribendorum nominum barbarorum unanima et concordi ratione inter omnes conveniret. At concordia et unitas illa eadem esse videtur quae LXXII nationum post eversam turrim Babyloniam fuit. Missis igitur his disquisitionibus id tantum moneo, in transcribendis nominibus copticis et Armeniis nos E. Kuhn et C. Schnorr de Carolsfeld, in transcribendis Syrorum et Arabum nominibus A. Socin praescripta secutos esse. (Cfr. tabulam in fine praefationis positam.)

Cap. VII.

De ratione quae inter singulas versiones intercedit.

O. Cuntz, de versionis Latinae libris scriptis disputans, quattuor codicum familias distinxit, quae diverso necessitudinis vinculo inter se coniunguntur. Prima enim cum secunda familia cognationem habet, pariterque tertia quartae propinqua est, ita ut quodammodo duo Latinarum versio-

---

1) Accedit quod interpres Armenius qui Michaelis Syri chronicon in linguam vernaculam vertit, talia vitia committit qualia numquam extant in indice Nicaeno. Cf. Ephemia pro Apamia, Kronos pro Cranao, Brisos pro Perses, Palompis pro Pelope, Amkalos pro Megacle, Basmos pro Psammo, id genus alia. Quae stupenda vitia demonstrant quomodo vir Armenius syriaco contextu utens nomina reddiderit. Similia nominum monstra a versione Armenia patrum Nicaenorum nominum prorsus aliena sunt.

num genera vel recensiones constituere possimus. Iam vero si ad Graecum contextum versionesque orientales animum advertimus, rem eodem modo se habere videbimus. Pars enim versionum cum priore recensione facit, pars cum altera congruit. Quod perspicuum facere possumus eas provincias perlustrantes, quae varium sedium episcopalium ordinem exhibent.

Provinciae Phoenices sedes sex ultimae ita in libris familiae I[1]) enumerantur: Tripolis — Paneas — Berytus — Palmyra — Alassus — Emisa. Eundem ordinem secuntur contextus Graecus (V)[2]), versiones Syriae (VIII IX)[2]), versio Armenia (XI). Contra libri familiarum III et IV hanc urbium seriem habent: Tripolis — Berytus — Palmyra — Alassus — Emisa — Paneas. Eadem dispositio etiam versionis Copticae (VII) est.

Iam transeamus ad Syriam Coelen. Cum familiae I index seriem nonnullis locis turbatam praebeat, dux eligendus est familiae II catalogus, qui a quarta provinciae urbe ita ordinem disponit: Apamea — Raphaneae — Hierapolis — Germanicia, et a decima tertia: Zeugma — Larissa — Epiphania — Arethusa — Neocaesarea. Qua cum serie iterum conveniunt contextus Graecus V, versiones Syriae VIII IX et Armenia XI. III et IV contra sic scribunt: Apamia — Hierapolis — Germanicia — et infra: Zeugma — Raphaneae — Larissa — Epiphania (om. III) — Arethusa — Neocaesarea. Eundem ordinem sequitur versio Coptica (VII) nisi quod Epiphaniensem antistitem cum Abileno (quem sola habet) in fine totius provinciae collocat. Videmus igitur priori recensionum generi ascribendas esse Latinas familias I et II, contextum Graecum (V), versiones Syrias (VIII IX) et Armeniam (XI); alterum vero genus familias Latinas III et IV et versionem Copticam (VII) complectitur.

---

1) Secunda familia Latina per errorem Paneadem Berytumque urbes inter Alassum et Emisam ponit. 2) Graecus liber mancus sedes Palmyrorum et Alassi omittit, Syrius liber VIII Alassi et Emisae locum mutavit; reliqua recte procedunt.

Etiam in Mesopotamiae provinciae praesulibus enumerandis versiones inter se discrepant. Verum ad discernendas recensiones nihil inde lucramur. Ultimo enim provinciae episcopo Iohanni Persidis tres priores familiae et XI praescribunt 'provinciae Persidis'. In fraudem librarios impulit insolita nominis forma[1]) *Περσίδος* a *Πέρρη Πέρσα Περσίς* urbe derivanda (Steph. Byz. s. v. *Πέρσα* et *Ἀπάμεια* cf. C. Lenormant in spicileg. Solesm. I p. 533 et G. Hoffmann in Georgio Cypr. ed. H. Gelzer p. 247). Erroris immunes sunt IV V VII VIII IX. Habemus igitur utriusque recensionis et sana et corrupta exempla. Si vero diiudicare volumus, quodnam recensionum genus alteri praeponendum sit, Cappadociae et Galatiae nomina accuratius nobis examinanda sunt. Cappadocum praesulum agmen claudunt chorepiscopi quinque quorum nomina in libris scriptis hoc modo disposita sunt:

	Cappadociae:	
I VIII XI	II V	III IV VII
1. Gorgonius	1. Gorgonius	
2. Stephanus		1. Stephanus
3. Eudromius	2. Eudromius	
4. Rodon		2. Rodon
5. Theophanes	3. Theophanes	
		3. Gorgonius (om. IV) [Paulus Spaniae add. VII]
	Armeniae minoris:	
Eulalius Sebastiae	Eulalius Sebastiae	Eulalius Sebastiae
Euethius Satalorum	Euethius Satalorum	Euethius Satalorum
		4. Eudromius
		5. Theophanes

Habemus igitur prioris recensionis duo exempla: unum integrum et absolutum quinque praesulum nomina complectens, quod Latina familia I versiones Syria (VIII)[2]) et

1) Fortasse et Eusebii narratio, qua concilio episcopum Persam adfuisse refertur. 2) Index Syrorum orientalium (IX) hoc ordine episcopos enumerat: Stephanus - Rodon - Gorgonius-Eudromius.

Armenia exhibent, — alterum decurtatum quod omissis Stephani Rodonisque nominibus tres tantum antistites commemorat. Hunc ordinem Latina familia II et contextus Graecus secuntur. Iam vero alterius recensionis indicem perlustrantes quinque et hic nomina invenimus; at tria tantum Cappadociae provinciae attribuuntur, duo vero in Armeniam minorem transposita sunt. Dubium esse non potest, quin prius recensionum genus verum et sincerum nominum ordinem retinuerit. Ille autem qui alterius generis archetypum confecit duo nomina praetermisit, et errorem perspiciens falso loco postea addidit.

Gravissimam autem discrepantiam in Galatia provincia habes. II V VIII IX XI primo inter antistites loco Marcellum Ancyranum collocant. Contra III IV VII Marcello expuncto Pancharium Ancyrae episcopum in medium proferunt. I et XI cum Marcellum (Marcum I), tum Pancharium adnotant. Satis constat tempore Nicaeni concilii Marcellum Ancyrae episcopum fuisse. Mitto eum iam a. 314 p. Chr. n. concilii Ancyrani actis subscripsisse, quamvis valde probabile sit concilio Ancyrae habito episcopum urbis ipsius interfuisse. Episcoporum enim subscribentium index Latinus (Mansi II 527, 528 n. I, 534) dubiae fidei est, neque maior libelli synodici auctoritas est qui eum una cum Agricolao Caesariensi concilio praefuisse tradit. Sed ipse Marcellus in epistola ad Iulium urbis Romae papam data se concilio Nicaeno interfuisse testatur: *τινὲς .. οὓς ἐγὼ ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ διήλεγξα* (Epiphan. c. haeres. LXXII vol. III p. 270, 25 Dind.). Quod confirmatur S. Athanasii testimonio (in apolog. c. Arian. cap. 23): *Μάρκελλος μὲν γὰρ ἐμαρτυρήθη ἡμῖν καὶ ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ τοῖς τὰ Ἀρείου φρονοῦσιν ἀντειρηκώς.* Sedem retinuit usque ad annum 338 p. Chr. n., quo synodus Constantinopolitana Basilium in Marcelli depositi locum suffecit. Unde certum fit tempore concilii Nicaeni et decem annis post nullum alium nisi Marcellum Ancyranam ecclesiam administrasse. Sed quomodo in libris Pancharius illius officio fungitur? Marcellus, strenuus olim verae fidei pro-

pugnator, postea falsam doctrinam profiteri visus est. Athanasius, Hilarius, Basilius, alii suspicionem ex fide eius duxerunt vel eum plane repudiarunt (cf. A. Harnack, Dogmengesch. II p. 238; Th. Zahn, Marcellus von Ancyra p. 80 sq., 86, 88 sq.; Hefele, Conciliengeschichte I p. 456 sq.). Patrum index post annum 362 p. Chr. n. conscriptus est, quo tempore orientalium antistitum iam maior pars de recta Marcelli fide dubitabat. Tale igitur nomen concilii splendori maculam aspergere videbatur. Quare deletum et in eius locum inane Pancharii nomen subrogatum est. I et XI Marcellum et Pancharium commemorantes duo recensionum genera contaminant. Habemus igitur exemplum non dubium eum qui alterius recensionis catalogum confecit, nomine quodam vero ex indice eiecto, aliud in eius locum supposuisse.

Lydiae paenultimus episcopus est Antiochus Aureliopolitanus; antecedit Florentius Ancyrae ferreae. Graecus solus inter hos duos antistites Antiochum Hierocaesareensem inserit. Graecus quidem index saepius antistites ex aliis fontibus depromptos addidit, velut Paphnutium Aegyptium, Nicolaum Myrensem. Sed ne idem de Hierocaesareensi praesule cogitemus, prohibemur Syriae versionis (VIII) testimonio, quod ultimo Lydiae provinciae loco Antiochum Hierocaesareensem recenset. Sunt iterum duae prioris recensionis familiae quae nomen illud recte retinuerunt.

Paulum Apameae urbis episcopum inter Phrygiae praesules omnes prioris recensionis libri praebent, deest in codicibus familiarum III et IV. Versio Coptica manca est, quinque enumerans episcopos: Laodiceae — Sanai — Synadorum — Azanorum — Dorylei. Sed cum in praescripto septem fuisse episcopos memoriae prodatur, duo qui interciderunt, Eucarpiae et Hierapolis antistites sine ullo dubio fuerunt. Versio igitur Coptica in omittendo Paulo cum reliquis alterius recensionis exemplis convenit.

In Pisidia provincia prioris recensionis libri post Polycarpum Metropolitanum Academium Paporum episcopum recensent, qui IV familiae 'Academius Mustene' est. In III

'Academius Mortinensis Paporum' Polycarpo praecedit. Nomen igitur urbis, ut moris est librario familiae III, ex priore et altero recensionum genere conflatum est. Coptica vero versio, consentiens cum familia III, Agathymium Amordianes Polycarpo praeire facit, tertio vero loco Academium Paporum habet, ita ut qui unus idemque praesul est, pro duobus numeretur. Pamphyliae urbs cui Zeuxius episcopus praeest Syarba in priore recensione appellatur; IV habet Zeuxius Uarbis, III Zeuxius Barbonitanus de Syarino — iterum prioris et alterius recensionis nomina contaminata sunt. — Satis mirum est quod forma 'Uarba' et in Syrio indice VIII extat, qui aliis locis fere ubique prioris recensionis vestigia premit.

Haud leve momentum ad rem diiudicandam et insularum index affert. Quartus Corcyrae episcopus recensetur cui nomen Apollodoro secundum libros II et III familiarum. I habet alpadoros, tres familiae II libri alphodoros, Graecus contextus (V) *Ἀλιτόδωρος*, Syriae versiones (VIII et IX) 'ljṭwdwrws et 'ḳljṭwdwrws, Armenia (XI) Ałpodorios. Memoratu dignum est I et XI quod haud semel accidit inter se conspirare. Nomen ΑΛΠΟΔΩΡΟϹ ex ΑΛΙΤΟΔΩΡΟϹ corruptum est. Vera nominis forma est *Ἀλητόδωρος*. A veritatis specie non abhorret, regis fabulosi quem conditorem urbis esse Corinthii praedicabant, Aletae nomen et memoriam apud Corcyraeos quoque, Corinthiorum colonos, viguisse. Quae si recte a me disputata sunt, ad probandam prioris recensionis praestantiam argumentum novum habemus. Nomen enim rarum et insolitum retinuit; alterius autem recensionis auctor nomen temere mutavit.

Quibus exemplis allatis id mihi demonstrasse videor, multo maiorem esse prioris quam alterius recensionum generis auctoritatem. Neque tamen eo progrediar, ut contendam, ad restituendam pristinam et sinceram indicis formam priorem recensionem altera omnino reiecta solam esse adhibendam. Interdum enim et altera recensio a verbis prioris recedens sana praebere videtur. Exempla

afferam. Praesul Lycopolitanus in libris recensionis prioris Olusianus I, Volusianus II, *Λυσιανός* V, 'wlwsjnws VIII, 'lsjws IX, Ałusianos XI appellatur; altera recensio habet Plusianus III, IV, Plusianos VII. Dubium esse non potest quin homo Aegyptius accuratissime de indigenarum antistitum nominibus edoctus veram nominis formam tradiderit. Accedit quod et in Athanasii apol. c. Arian. 69 episcopo nomen *Πλουσιανός* est. Nec non Gazae episcopus, in aliis libris omnibus Asclepius nominatus, in libris III et VII Asclepas dicitur. Quae nominis forma iterum Athanasii testimonio confirmatur; cf. apologia de fuga cp. 3: *Γάζα δι' Ἀσκληπᾶν*, hist. Arianor. cp. 5: *ὁ ἐν Γάζῃ Ἀσκληπᾶς*, cf. apol. c. Arian. cp. 44; 47.

Omnes libri praeter Latinam familiam IV quae multos praesules omittit undecimo Isauriae loco Theodorum Uasadorum episcopum ponunt, nomine oppidi barbari et obscuri varie corrupto. Idem nomen in fine provinciae Pisidiae occurrit; III et IV quibus assentitur recensionis prioris testis praecipuus II, habent:

Theodorus Usensis (Uis IV)
Adon Lycia (Byciae II, Lycius III).

Versio Coptica (VII) et Syria Nestorianorum (IX) ultimum Pisidiae praesulem Theodorum Usin ('ws'dwn) faciunt, Lyciae primum Adonem Lyciae. Rectissime vero O. Cuntz coniecit, scribendum esse Theodorum Usadon. Quamvis notum sit IV p. Chr. n. saeculo Asianarum provinciarum fines saepe mutatas esse, tamen Uasada, urbs Iconio vicina, numquam Isauriae fuisse potest. Auctor vero indicis Nicaeni eadem nomina per imprudentiam interdum bis posuit. Strategius, ut exemplo utar, Hephaestiadis episcopus, et inter insulanos et Achivos praesules recensetur. In provincia Cilicia Narcissus bis ponitur, cuius urbs Neronias-Irenupolis priore loco antiquo, altero recenti nomine recensetur. Cf. Theodoret. hist. eccles. I 7: *ὁ Νερωνιάδος Νάρκισσος. Κιλικίας δὲ τῆς δευτέρας Νερωνιάς ἐστι πόλις ἣν νῦν Εἰρηνούπολιν ὀνομάζουσιν.* Pariter archetypi auctor Theodorum Uasadorum duabus assignasse provinciis videtur.

Qui priorem recensionem scripsit, nomen bis positum vero loco expunxit, falso retinuit. Altera autem recensio quacum congruunt II et IX, archetypum religiose exscripsit. Quibus exemplis fortasse et Syriae coeles episcopus Siricius adnumerandus est. In scribendo urbis nomine neque prior neque altera recensio sibi constant. Ex prioris exemplaribus I habet Cyru, II Cyri, V vero *Κύπρου*; contra alterius recensionis III praebet Cyrri, VII Kypros, at IV Cyro. ΚΥΠΡΟΥ vetus mendum ex ΚΥΡΡΟΥ ortum est. Inde concluserim in archetypo *Κύρρου* scriptum fuisse. Quamquam enim seriore aetate *Κύρου* scribendi ratio praevalebat (cf. Georg. Cypr. ed. H. Gelzer p. 148), tamen ex causis modo allatis *Κύρρου* forma indicis archetypo vindicanda esse videtur. Qui indices *Κύρου* scribunt, serioris aetatis consuetudinem secuti sunt.

Etiam in Europae et Illyrici provinciis, ubi valde inter se differunt versiones, recensio altera nonnulla recte tradidisse videtur. Prior recensio Thessaliae episcopum Claudianum habet, in cuius locum altera Cleonicum Thebanum subrogat. Cleonici nomen Thessalicum est. Thebae Pthioticae sedes episcopalis fuerunt. Inde colligendum est, auctorem indicis duo praebuisse nomina quorum unum prior, secundum altera retinuit recensio.

Budius Stulois (= Stobis) in IV Macedoniae attribuitur; recte; nam Stobi Macedoniae urbs sunt quam prior in Dardaniam relegat. III more suo duas recensiones contaminat. Eodem loco quo IV Budium (Budis Asteriensis) habet, eumque postea repetit. Inter Dardaniam et Pannoniam provincias Thessaliam et Dalmatiam addit, quibus Claudianum Thessaliensem et Budium Stuborum — ex priore recensione mutuatos — assignat.

Quibus exemplis allatis satis probasse mihi videor, in restituendo patrum Nicaenorum indice, etiamsi prior recensio longe praestantior sit, tamen ne alterius quidem recensionis memoriam prorsus neglegendam esse.

Cap. VIII.

De patrum Nicaenorum numero.

Varia de patrum Nicaenorum numero apud scriptores extant testimonia. Auctores antiquissimi sunt Eusebius Caesariensis et Eustathius Antiochenus qui inter Nicaenos praesules sederunt. Eusebius in III de vita Constantini libro cp. 8 amplius CCL patres fuisse dicit: *ἐπὶ δὲ τῆς παρούσης χορείας ἐπισκόπων μὲν πληθὺς ἦν πεντήκοντα καὶ διακοσίων ἀριθμὸν ὑπερακοντίζουσα.* Socrates (I 8, 9) hunc locum exscribens numerum auget CCC fuisse patres affirmans: *πληθὺς τριακοσίων ἀριθμὸν ὑπερακοντίζουσα ἦν.* Eustathius Antiochenus, de Salomonis proverb. VIII 22 verba faciens: *σύνοδος*, inquit, *ἐς τὴν Νικαέων ἀφικνεῖται μεγίστη διακοσίων μήτι γε καὶ ἑβδομήκοντα τὸν ἀριθμὸν ὁμόσε συναχθέντων* (Theodoret. hist. eccles. I 7). Trecentos patres commemorat Constantinus imperator in epistola quam ad Alexandrinam ecclesiam dedit cf. Socrat. I 9, 21: *τριακοσίων γοῦν καὶ πλειόνων ἐπισκόπων ... μίαν καὶ τὴν αὐτὴν πίστιν ... βεβαιούντων.* 24: *ὃ γὰρ τοῖς τριακοσίοις ἤρεσεν ἐπισκόποις.* Verum hic numerus num verus sit dubitari potest. Epistolam enim Constantini Socrates memoriae prodidit qui et Eusebii numerum mutavit, ut cum seriorum calculis conveniret. Locuples CCC patrum testis Athanasius est qui in epistola ad monachos cp. 66 ita scribit: *οἱ μὲν οὖν πατέρες ἡμῶν οἰκουμενικὴν σύνοδον πεποιήκασι καὶ τριακόσιοι πλεῖον ἢ ἔλαττον συνελθόντες κατέκριναν τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν.* Eundem numerum habet in epist. de synodis cp. 43: *οὐ χρὴ .. τῶν συνελθόντων τὸν ἀριθμὸν συμβάλλειν, ἵνα μὴ δοκῶσιν οἱ τριακόσιοι τοὺς ἐλάττονας ἐπικρύπτειν.* Cum Athanasio convenit Iulius papa Romanus: *οἱ τῶν τριακοσίων τὰς ψήφους παρ' οὐδὲν θέμενοι* in epistola apud Athanas. apol. c. Arian. cp. 23. — *ἔδει μᾶλλον μὴ λυθῆναι τῶν τριακοσίων τὴν ψῆφον* l. c. cp. 25 et Lucifer Caralitanus episcopus: fidem .. descriptam a trecentis

apud Niciam et eo amplius. Lucifer. Caral. de regibus apostaticis 11 p. 61, 24 Hartel.

Procedente tempore et patrum numerus auctus est. Recentiores scriptores unanimi consensu CCCXVIII patres fuisse tradunt, ita ut hic numerus quodammodo sollemnis factus sit. Cuius antiquissimus testis Athanasius ipse est in epistola ad Afros cp. 2: *οἰκουμενικὴ γέγονεν ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἐπισκόπων.* Offensioni vero est quod idem aliis locis supra citatis numerum episcoporum minus accurate circumscribit, trecentos plus minusve fuisse affirmans. Athanasius igitur qui epistolam ad Afros a. p. Chr. n. 369 scripsit aetate provectus sententiam mutasse videtur. Verum enim vero et in epistola ad Iovianum imperatorem a. p. Chr. n. 363 data, quam Theodoretus historiae ecclesiasticae inserit, *τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν* commemorat *ὁμολογηθεῖσαν ὑπὸ τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἐπισκόπων.* (Theodoret. hist. eccl. IV 3 p. 154 C ed. Vales.) At Athanasii libri scripti *ὁμολογηθεῖσαν ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων* nullo numero addito praebent (cf. S. Athanas. opp. ed. Paris. I 2 p. 750). Theodoretus igitur verba Athanasii adulteravit eodem modo quo Socrates Eusebii numerum mutavit. Unde dubitare non possumus, quin epistolae ad Afros datae verba non ab Athanasio ita scripta, sed a librariis postea correcta sint.

Testes non dubii numeri CCCXVIII sunt Hieronymus in chronico ad. a. Abr. 2338: 'synhodus CCCXVIII episcoporum in Niciam urbem Bithyniae congregata', Epiphanius (ctra. haereses. II 69 p. 153 Dind.) *συνεκρότησαν οἰκουμενικὴν σύνοδον ὧν καὶ τὰ ὀνόματα εἰς ἔτι δεῦρο σῴζεται τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἐπισκόπων*, Hilarius Pictaviensis (c. Constant. Aug. lib. p. 334 A ed. Paris. 1652); Rufinus in hist. eccl. I 1; Ambrosius de fide ad Gratian. I prolog. 3, 5; I 18, 121. Idem numerus inde a V p. Chr. n. saeculo apud omnes invenitur; cf. Socratem I 8, 31; Sozomenum I 17 (*ὑπὲρ ἀμφὶ τριακόσιοι εἴκοσι*) Theodoretum in hist. eccles. I 7 et 11 alios.

Videmus igitur inter aequales auctores parum de

patrum numero constare. Sed inde a IV p. Chr. n. saeculo exeunte numerus ille sollemnis factus solus valet. Moris erat veteribus illis christianis numeros ad sacrae scripturae exempla accommodare. Ita sub Antiochensis praesulis dicione CLIII episcopi esse dicuntur propter Ioannis apostoli verba XXI 11. Eodem modo patrum Nicaenorum numerus constitutus est ex CCCXVIII expeditis vernaculis Abrahae (cf. Genes. XIV 14) quibuscum iam Ambrosius Nicaenos episcopos comparavit l. c. I prol. 5 'trecenti decem et octo sacerdotes tamquam Abrahae electi'.

Eundem numerum et indicum auctores tradunt; verum patrum frequentia quorum nomina indicant, multo minor est. CCXVIII, CCXX vel CCXXII patres recensent in eam sententiam disputantes, ut dicant, occidentalium episcoporum nomina scripta non esse, apud quos nulla haeresis suspicio fuerit (cf. II IV IX XI).

Cap. IX.

De indicum nominibus.

Nomina quae indices nobis tradunt ex genuinis actorum Nicaenorum subscriptionibus non esse desumpta luce clarius est. Integra conciliorum oecumenicorum acta inde ab Ephesino habemus. Nomina I et II universalis concilii secundum provincias disposita sunt. Contra in omnibus actis quae aetatem tulerunt hic ordo non observatur, sed secundum ordinis gradum episcopi subscribunt, primum patriarchae, dein metropolitae, tum episcopi. Quem ordinem ex vetere consuetudine esse observatum nemo negabit; nam disciplinae ecclesiasticae fuit novis rebus non studere: 'τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω'. Verisimile igitur fit et Nicaeae eodem quo Chalcedone ordine patres subscripsisse. Quod probatur Socratis testimonio qui ex Athanasii synodico ita patrum nomina recenset I 13, 11 sq.: φιλομαθὲς δὲ εἶναι

νομίζω καὶ τὰ ὀνομάτα τῶν ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων ἐπισκόπων ἃ εὑρεῖν ἐδυνήθημεν, καὶ ἧς ἕκαστος ἐπαρχίας τε καὶ πόλεως ἦν καὶ τὸν χρόνον ἐν ᾧ συνῆλθον παραθέσθαι ἐνταῦθα·

Ὅσιος ἐπίσκοπος Κουδρούβης Ἱσπανίας· οὕτως πιστεύω ὡς προγέγραπται.

Ῥώμης Βίτων καὶ Βικεντῖνος πρεσβύτεροι.
Αἰγύπτου Ἀλέξανδρος.
Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης Εὐστάθιος
Ἱεροσολύμων Μακάριος.
Ἁρποκρατίων <Ἀλφοκράνων
Ἀδαμάντιος> Κυνῶν

καὶ τῶν λοιπῶν ὧν εἰς πλῆρες τὰ ὀνόματα κεῖται ἐν τῷ συνοδικῷ Ἀθανασίου τοῦ Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου.

Initium catalogi convenit cum indicibus; sed inter Alexandrum Alexandriae episcopum et suffraganeos Aegyptios inserti sunt Antiochiae Hierosolymorumque praesules. Haud dubie recte. In indicibus vero antistes uterque in provinciae suae capite recensetur.

Socratis igitur iam aetate qui patrum Nicaenorum nomina exquirebant, ex solo Athanasii synodico pendebant. Unde colligendum est vera concilii universalis acta iam tum temporis auctoribus praesto non fuisse. Neque id mirum. Omnibus enim notum est, cum Nicaeni concilii placita per totum orbem promulgata essent, adversarios cum Constantino patre, tum maxime Constantio filio regnantibus triginta fere annos tantam potestatem nactos esse, ut universalis concilii auctoritas penitus labefactaretur, quin etiam fidei Nicaenae memoria in multis provinciis obliteraretur.[1]) Acta vero concilii his iniquis temporibus vel deperdita vel deleta esse videntur. Quamobrem ubi primum Iuliano regnante libertas ecclesiae reddita est, Athanasius verae fidei propugnator acerrimus Alexandriam a. p. Chr. n. 362 synodum convocavit, quae cum de aliis rebus iisque gravissimis diiudicavit, tum id maxime agebat, ut vetus Nicaenorum patrum fides in integrum restitueretur.

---

1) Cf. E. Revillout, le concile de Nicée p. (6) sq.

Athanasii tom. ad Antioch. cp. 3: *μηδὲν πλέον ἀπαιτήσητε παρ' αὐτῶν ἢ ἀναθεματίζειν μὲν τὴν Ἀρειανῶν αἵρεσιν, ὁμολογεῖν δὲ τὴν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ὁμολογηθεῖσαν ἐν Νικαίᾳ πίστιν.* Cf. 4 sub finem. cp. 5: *ἡ δὲ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Σαρδικῇ .. ὥρισε μηδὲν ἔτι περὶ πίστεως γράφεσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι τῇ ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῶν πατέρων ὁμολογηθείσῃ πίστει διὰ τὸ μηδὲν αὐτῇ λείπειν, ἀλλὰ πλήρη εὐσεβείας εἶναι καὶ ὅτι μὴ δεῖν δευτέραν ἐκτίθεσθαι πίστιν ἵνα μὴ ἡ ἐν Νικαίᾳ γραφεῖσα ὡς ἀτελὴς οὖσα νομισθῇ* l. c. paullo post: *ἠξιώσαμεν μὲν μηδὲν πλέον ἐπιζητεῖν πλὴν τῆς κατὰ Νίκαιαν ὁμολογίας.* Cf. cp. 9. eiusdem epist. ad Afros cp. 1 *ἱκανὰ μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ Νικαίᾳ ὁμολογηθέντα καὶ αὐτάρκη .. πρός τε ἀνατροπὴν πάσης ἀσεβοῦς αἱρέσεως καὶ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ ὠφέλειαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς διδασκαλίας.* Rufin. hist. eccl. I 28: confessorum concilio congregato pauci numero sed fide integri et meritis multi quo pacto post haereticorum procellas et perfidiae turbines tranquillitas revocaretur ecclesiae, omni cura et libratione discutiunt. Sozom. V 12: *κοινῇ συνθήκῃ Εὐσέβιος μὲν ἧκεν εἰς Ἀλεξάνδρειαν ὅπως σὺν Ἀθανασίῳ σύνοδον ἀθροίσῃ ἐπὶ βεβαιώσει τῶν ἐν Νικαίᾳ δοξάντων.* Socrat. III 7 3: *οὐ γὰρ νεαράν τινα θρησκείαν ἐπινοήσαντες εἰς τὴν ἐκκλησίαν εἰσήγαγον, ἀλλ' ἅπερ ἐξ ἀρχῆς καὶ ἡ ἐκκλησιαστικὴ παράδοσις ἔλεγε καὶ ἀποδεικτικῶς παρὰ τοῖς Χριστιανῶν σοφοῖς ἐφιλοσοφεῖτο. οὕτω γὰρ πάντες οἱ παλαιότεροι περὶ τούτου λόγον γυμνάσαντες ἔγγραφον ἡμῖν κατέλιπον.*

Patres synodi Alexandrinae ut potuerunt Nicaeni concilii acta collegerunt, quibus debentur fragmenta quae aetatem tulerunt. Etiam patrum fidei Nicaenae subscribentium indicem restituere conati sunt.

Quem praesulum ordinem Athanasium in conscribendo synodico usus sit, difficile dictu est, quia Socrates satis habuit nomina quaedam in initio indicis posita recensere. Sed cum post primores episcopos e vestigio Aegyptii episcopi enumerentur, satis probabilis Eugeni Revillout[1]) sen-

1) l. c. p. (14).

tentia est, et in synodico cuiusque provinciae antistites coniunctos fuisse. Alia enim causa cur Aegyptii ceteris praeponantur episcopis excogitari vix potest.

Si vero res ita se habet, colligere licet, indices de quibus verba facimus intimo familiaritatis vinculo cum synodici enumeratione coniunctos esse. Auctorem igitur archetypi synodici librum descripsisse crediderim, in eo tantum ab exemplo digressum, quod Antiochiae Hierosolymorumque praesules loco movit provinciisque suis adiudicavit.

Cap. X.

Ordo patrum Nicaenorum restitutus.

Ex his quae modo disputavimus id haud dubie efficitur veras Nicaenorum patrum subscriptiones restitui non posse. Neque quae nomina in Athanasii synodico recensa sint, pro certo exploratoque affirmare possumus. Nobis igitur id tantum propositum esse potest, ex diversis versionibus patrum nomina ita restituere, ut in indicum archetypo scripta erant. Sed etiam sic opere in exiguum angustumque contracto multa necessario incerta et lubrica erunt. Id autem moneo me in disponendo indice prioris potissimum recensionis rationem habuisse, et familiis inter se discrepantibus I II et VIII, quippe quae optimae esse videantur, duces elegisse. Graeci autem catalogi qui nomina nonnumquam omittit et, quod maius est, nominum terminationes saepe in peius mutat, rarius tantum rationem habui.

Iam si admittimus verum patrum Nicaenorum numerum eum esse quem Eusebius Caesariensis vel Eustathius Antiochenus tradiderunt, auctor indicis ne cum hoc quidem numero convenit. Inde concludere licet ne in Athanasii quidem synodico omnes Nicaenos patres relatos fuisse. Neque est cur miremur. Haud multum abest, quin a concilio Nicaeno ad synodi ab Athanasio habitae tempus

quadraginta praeterierint anni. Quamobrem facile fieri potuit, ut nomina nonnulla in oblivionem venirent. Quam rem iam indicis auctorem monuisse vidimus. Nomina occidentalium episcoporum omissa esse affirmat quibus enumerandis opus non fuerit, cum occidentis regio ab haeresi immunior quam oriens fuerit. Sed videamus quae de episcoporum patria Eusebius antiquissimus testis memoriae prodiderit. Cf. de vita Constantini III 7: *τῶν γοῦν ἐκκλησιῶν ἁπασῶν αἳ τὴν Εὐρώπην ἅπασαν, Λιβύην τε καὶ τὴν Ἀσίαν ἐπλήρουν, ὁμοῦ συνῆκτο τῶν τοῦ θεοῦ λειτουργῶν τὰ ἀκροθίνια, εἷς τ' οἶκος εὐκτήριος, ὥσπερ ἐκ θεοῦ πλατυνόμενος, ἔνδον ἐχώρει κατὰ τὸ αὐτὸ Σύρους ἅμα καὶ Κίλικας, Φοίνικάς τε καὶ Ἀραβίους καὶ Παλαιστινοὺς, καὶ ἐπὶ τούτοις Αἰγυπτίους, Θηβαίους, Λίβυας, τούς τ' ἐκ Μέσης τῶν ποταμῶν ὁρμωμένους· ἤδη δὲ καὶ Πέρσης ἐπίσκοπος τῇ συνόδῳ παρῆν, οὐδὲ Σκύθης ἀπελιμπάνετο τῆς χορείας, Πόντος τε καὶ Γαλατία καὶ Παμφυλία, Καππαδοκία τε καὶ Ἀσία καὶ Φρυγία τοὺς παρ' αὐτοῖς παρεῖχον ἐκκρίτους· ἀλλὰ καὶ Θρᾷκες καὶ Μακεδόνες, Ἀχαιοί τε καὶ Ἠπειρῶται, τούτων δ' οἵ ἔτι πορρωτάτω οἰκοῦντες ἀπήντων, αὐτῶν τε Σπανίων ὁ πάνυ βοώμενος εἷς ἦν τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. Τῆς δέ γε βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν προεστὼς ὑστέρει διὰ γῆρας, πρεσβύτεροι δ' αὐτοῦ παρόντες τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐπλήρουν.* Quae provinciarum enumeratio nos edocet longe plurimos praesules orientales fuisse. Ut hoc unum afferam, praeter Romani episcopi legatos et Hosium Cordubensem ex Italia vel Hispania nulli adfuisse episcopi videntur. Accedit quod longum et molestum iter multos occidentalium partium antistites deterruisse videtur. Dein nonnulla patrum nomina in indicibus omissa ab aliis testibus fide dignissimis afferuntur. Verum et hi omnes ex orientis regionibus originem ducunt. Quamobrem opinio quam indicis auctor protulit pro vana et falsa habenda est. Casu vero non consilio quodam effectum esse videtur, ut patrum index non integer sit.

Sed iam ad singula accedamus. Omnes indices, Athanasii synodicum secuti, in eo conveniunt quod primo loco

Hosium Cordubensem et Romanos legatos ponunt, dein episcopos secundum provincias dispositos enumerantes initium cum Aegypto faciunt. Omittenda igitur sunt nomina Hispaniae, Romae, Italiae, quae versiones nonnullae praesulibus modo commemoratis inscribunt. Provinciarum nomina varie provinciis inscribuntur. Nomina tantum velut *Παλαιστίνης*, *Φοινίκης*, *Συρίας Κοίλης κτλ.* habent II III V VIII IX, provinciae Palaestinae, provinciae Phoenices, provinciae Syriae Coeles etc. scribunt I IV XI; Coptica et Syria Monophysitarum versiones numerum episcoporum etiam adiciunt. Quae omnia librariorum additamenta esse videntur. In codice archetypo 'provincia' voce praetermissa nomina tantum provinciarum fuisse existimo.

Nomen Cordubae praeter Latinas et orientales praebent versiones. Forma igitur Graeca *Κοδρούβης*, etiamsi et Socrates I 13, 12 *Κουδρούβης* habeat, reicienda est. Iam difficultas oritur ex nomine prioris Romani legati. Victor quod nomen I II III praebent fortasse verum viri nomen est. At si ita est, librarii Latini indicem ipsum emendasse videntur. Nam IV V et orientales omnes (praeter Armenium testem cuius optimi libri formam Biktor praebent) formam Biton varie corruptam exhibent. Quae cum et apud Socratem extet, recipienda esse videtur. Subscriptionis verba nominibus legatorum addita cum in I II V IX XI desint omittenda esse censui.

In adornanda provincia Aegypto ab omnibus aliis versionibus prorsus recedit contextus Copticus. Primum Alexandrum Alexandriae a ceteris Aegypti praesulibus secernit, separatam Alexandriae provinciam constituens. Hoc contra auctoris propositum factum est, qui praesulum principes a synodici scriptore in capite totius indicis positos primo suae provinciae loco posuit. Dein Aegypti et Thebaidis episcopos Coptita non discernit. Novum ordinem antistitum novaque nomina habet. In omnibus aliis versionibus Thmueos episcopus Gaius, in Coptico exemplari Tiberius nominatur. Gaio vero alia urbs a ceteris omissa: Panyos adiudicatur. Sponte concedimus hominem indige-

nam de rebus Aegyptiis melius ceteris testibus edoctum fuisse. Nomina igitur ab eo addita minime spernenda sunt. Verum non ex indicis archetypo, sed ex plane alio fonte desumpta esse illa nomina censendum est. Itaque ad restituendum indicem a Coptica versione omnino recedendum est.

Graecus deinde librarius rem ita instituit, ut suffraganeorum Alexandrinorum nomina post urbes quibus praesunt recitet. Quod iterum omnium versionum consensu reicitur.

Primum post Alexandrum nomen varie traditur Arpocration (III IV V VII) vel Alphocration (I II VIII IX). Prior forma quae et Socratis est, recta est; ex urbis Alphocranon vocabulo facile et viri nomen corrumpi potuit. Arbetioni — haec est vera nominis forma — licet duo egregia testimonia (I et VIII) Barethu formam tueantur, Pharbaetus urbs tribuenda esse videtur. De ceteris nominibus inter versiones convenit. Vitia Graeci librarii ex aliis libris facile corriguntur.

Thebaidis tres episcopi sunt; nomen Lycopolitae Plusianum esse iam vidimus. De nominis forma *Λυκῶ* cf. Georg. Cypr. ed. H. Gelzer p. 130. Quartum Paphnutium V habet, quem et IV post Alexandrum Alexandriae recenset. At Graeci ratio rectior est; nam Paphnutius superioris Aegypti oppido praefuit. Verum eius nomen scribarum doctrinae debetur, qui patrem Nicaenum ab omnibus historiarum ecclesiasticarum auctoribus laudibus ornatum in indice praetermissum esse aegre ferebant.

Iam transeamus ad Libyam superiorem. Primae urbis forma *Βερουνίκη* quam I et III tutantur, retinenda esse videtur. Cf. Georg. Cypr. ed. H. Gelzer p. 145.

Duas Libyae provincias distinguunt II III V. Sed et ceterae versiones primitus ita legerunt. Nam acute intellexit O. Cuntz, Secundum Tauchinbies (I) esse Secundum Tauches Libyes. Eodem modo VIII Ṭwkjljb's IX Ṭwkl'b'ws et XI Taukhłibē praebent, nomine ultimae Libyae superioris urbis et provinciae sequentis vocabulo in unum confusis.

De Palaestinae episcopis pauca monenda sunt. Praeter familiam Latinam I vetere mendo corruptam omnes libri duos Sebastiae afferunt episcopos. Quae causa sit nescimus. Variae excogitari possunt. Graecus more solito in nominibus proferendis saepius peccat. Quae vitia facile ex aliis libris sanantur. Formam *Γαινός* praebent et liber Venetus contextus Graeci et I locuples testis. Sed tamen reicienda esse videtur. De Asclepa nomine iam dictum est. *Ἀϊλᾶς* formam IV et VIII inter se collatae confirmant.

Phoenices et Syriae nomina perlustrantes prioris recensionis ordinem sequendum esse censemus. Proximi a supremo Phoenices antistitis nomen collatis inter se I II III VII IX constitui; in urbis nomine I et VIII secutus sum. Duo nomina Phoenices, unum Syriae addit versio Coptica, nomina vera quidem et sincera, sed ab indice seiungenda sunt.

Syriam Coelen provinciam in duas dividit interpres Copticus, quattuordecim urbes Syriae superiori, novem inferiori adiudicans. Quae divisio a scriba inepte excogitata omnino reicienda est. Laodiciae episcopus Theodotus est (Theodorus I II IV). Raphaneorum antistes in plurimis libris Bassianus (Basianus) vocatur; II IX XI errore vetusto 'Asihenus' praebent. Urbis verum vocabulum *Ῥαφανεῶν* I et VIII habent. Et Zeugma forma in archetypo fuisse videtur, cum praeter Graecum omnes prioris recensionis libri et alterius versio Coptica eam praebeant. Zeuma (de forma v. Georg. Cypr. ed. H. Gelzer p. 149) habent III IV V (et libri nonnulli familiarum I II). Dubitari potest utrum *Γινδάρων* (I) an *Γινδάρου* (III IV V VII) vera sit forma; priorem tuetur Stephan. Byz. s. v. *Γίνδαρα*, alteram Strabo XVI p. 751 C, Ptolem. V 14, 15. Ioann. Malal. XVIII 452, 6. *Σέργιος πρεσβύτερος καὶ περιοδευτὴς μονῆς Γινδάρου* Mansi VIII 922. *Γινδάρου* igitur scripsi. Oppidi cui Pegasius praefuit nomen *Ἀρβοκαδάμων* fuisse II III IV VIII IX probant. Ultimam urbem *Γαβούλων* dubitans scripsi. *Ταβούλας* habet Graecus, qui vocabulorum terminationes saepe ad arbitrium mutat. Neque ex

Gabulae III et Gabbola IV aliquid certi constitui potest, quia hae familiae Graecas formas retinere non solent. Coptica vero versio (Karbulon) plurimorum urbium vocabulorum casum rectum adhibens genetivos in 'on' desinentes saepe intactos relinquit cf. Palmyron, Samusaton, Gabalon, Adanon alia. *Γαβουλῶν* habes Euseb. chron. ed. Schoene I App. 83, 5, *τὰ Γάβουλα* in indice Byz. Ztschr. I 251.

Inter Arabios praesules difficultatem praebent Gennadius et Sopater. Gennadii urbs est *Ἰσβούνδων* I V (ΙΕΒΟΥΝΔΩΝ in V ex ΙϹΒΟΥΝΔΩΝ corruptum est), *Ἰσβούτων* II, *Σβόντων* III, *Ἐσβούντων* IV VIII, *Ἰσβούντων* scripsi.

Nomen urbis cui Sopater praeest *Βερίτανα* vel *Βερέτανα* esse videtur. Illi nominis formae III V, huic II IV VIII IX favent. *Βεριτάνευς* Graeci *Βεριτανεύς* est, ethnicon ut *Ταυθίτης*. Ab omnibus aliis libris recedit I Supatros Eristis Botanias. Videtur alio fonte usus esse, ut in Armenia maiore. Mesopotamiae quinque episcopos recensent IV V VII VIII, quattuor I II III XI. Ultimus enim episcopus Iohannes in his libris seiungitur, Persidi provinciae attributus. In errorem librarii inducti esse videntur Eusebii verbis. Is enim auctor est etiam Persam episcopum Nicaeno concilio interfuisse. Cuius nomen ut multorum aliorum patrum intercidit. Verborum vero Eusebianorum memores scribae antistitem Perrae urbis Persarum episcopum fecerunt. Notabilis est ethnici forma in versione Coptica Persinos i. e. *Περσηνός*. Cf. Steph. Byz. s. v. *Πέρσα· δυνατὸν δὲ καὶ Περσηνὴν εἰπεῖν.* Simili modo 'Sirinos' vocabulum quod eadem versio Iacobo addit, ex '*Νισιβηνός*' corruptum est.

Edesseni praesulis verum nomen praebet Graecus, *Ἀειθαλᾶς* eum nominans, qui et Syris Aitallaha est. At optimi libri I II VIII *Ἀειθιλᾶς* legisse videntur. Ea igitur forma archetypo vindicanda est, quam Graecus, cum Aithalae nomen ex sanctorum actis ei notum esset, docte correxit. Tres denique episcopos Nestorianorum index (IX) inter Marcum et Johannem inserit: Symeonem Amidae-

Marutham Martyropolis-Georgium Singarae. Qui cum in aliis versionibus omnibus desint, pro suppositiciis habendi sunt. Vir Syrus ad augendam patriae gloriam cives suos indici adiecit.

In Cilicia provincia omnes versiones praeter IV familiam Latinam quae multa nomina praeterit, et Narcissum Neroniadis et Narcissum Irenopolis afferunt. Indicis igitur auctor ipse eundem praesulem bis posuit. Valde discrepant versiones in Macedonii urbe: usitata nominis forma occurrit in V VIII (Mompsuhestia), II IX (Mopsuhestia), ita etiam VII legisse nominis vestigia 'esti' probant. Nominis formam vulgarem Manxiston, Mansusta etc. I III IV XI habent. Verumtamen apud Graecos, quantum video, haec forma nusquam invenitur. Seriores omnes vulgari scribendi stilo utentes *Μομψουεστία* (*Μαμψουεστία* Malalas 326, 11) habent. Ita etiam indicis auctor scripsisse videtur. Aegeatae praesulis nomen et Tarcondimantus (I III VIII IX) et Tarcodimantus (II IV V) scribitur. Prior forma praestantioribus testimoniis nititur et verior est (cf. Strabo XIV 676 C; Dio Cass. 41, 63, 1; 47, 26, 2 etc.).

Cappadociae et Armeniae minoris praesules iam absolvimus (cf. p. XXXIX). Genuinam seriem praebent I VIII XI. Paulum Spaniae versio Coptica ex alio fonte addit. Contra in Armenia maiore omnia incerta sunt. I ceteris in rebus egregius testis Arsaphium Sobmon nescio unde affert. Aliae vero versiones omnes inter se conveniunt priore loco Gregorii illuminatoris filium ponentes. Nominis vera forma: Aristaces II V VIII XI inter se compositis evincitur. Nomini Aristacis in VII et VIII patria Armenia additur. Quod fortasse verum est. Inde enim explicatur V et VIII librorum error, qui Diosponti provinciae vocabulum oppidum esse existimantes alteri Armeniae episcopo attribuerunt. Cuius nomen Acriten fuisse I II III VIII XI probant. Veram nominum Diosponti provinciae seriem habent II V VII VIII IX XI. Amasiae praesul Eutychianus (I VII VIII XI) rectius, quam Eutychius (II III V IX) appellatur.

In Ponto Polemoniaco Genetivi formas *Τραπεζοῦντος — Πιτυοῦντος* (*Τραπεζούντων — Πιτυούντων* V) ex I restitui. In Paphlagonia *Ἰωνοπόλεως* (I II IV) scribendum est, V libro serioris aetatis formam *Ἰουνοπόλεως* praebente. Amastridis episcopus est Eupsychius (prior recensio et III) cuius nomen altera (et V) in notissimum Eutychium mutavit.

Iam transeamus ad Galatiam provinciam. De Marcello Ancyrae antistite disputavimus cf. p. XL. Tertiae urbis nomen iam in archetypo corruptum fuisse videtur. Est urbs *Ἐκδαύμανα* (Ptolem. V 4, 10 v. l. *Ἐκδαύμανα*, Egdava Tab. Peut.) quam Ptolemaeus in provinciae Galatiae partibus Lycaoniae vicinis commemorat. Utrum *Γαδαμαύων* an *Γαδαμαούσων* an aliter in indice scribendum sit nescio. Difficile diiudicatu est, utrum Philadelphius (I VII) an Philadelphus (II III IV V VIII IX XI) ultimus episcopus appellandus sit, cum et hanc et illam formam utraque recensio praebeat. Versionum II et VIII formam recepi.

Ad Asiam provinciam animum attendentes in difficultatem haud levem incurrimus, quod inter sedes episcopales Ilium bis recensetur. Gelasius Cyzicenus (Mansi II 881, 929) et V Marinum alterum Ilii praesulem Troadis episcopum faciunt, ita ut et Ilii et Alexandriae Troadis episcopi concilio adfuerint. In notitiis episcopatuum Ilium octava, Troas nona sedium Cyziceno antistiti subditarum est. At repugnat familiarum I II III VIII IX XI consensus, quae Marinum Ilii ad Hellespontum episcopum fuisse diserte dicunt. Sed cuius est Ilii Orion? Forsitan quis de Elaea cogitaverit, cuius et acta conciliorum et notitiae ecclesiasticae mentionem faciunt. Cui opinioni libri minime favent. Stephanus Byzantius Ilii mentionem facit ad Rhyndacum siti s. v. *Ἴλιον· δευτέρα ἐν τῇ Προποντίδι παρὰ Ῥυνδάκῳ ποταμῷ.* Quod oppidum si unquam sedes episcopalis fuit, hoc uno loco commemoratur. Res in incerto relinquenda est.

Inter episcoporum nomina notabilis est forma Ionica Mithres prioris recensionis (et III). Ilii Hellespontii antistes Marinus est in I II V (*Μαριανὸς*) XI, Macrinus in III VIII IX

qua ex forma Macarius Copticae versionis corruptus est. Syria igitur versio VIII quod raro evenit cum deteriore recensione facit.

In Lydia provincia verum urbis Antiochi nomen Aureliopolis est quod II et III habent. Aurelianopolis praebent alterius recensionis testes IV VII et prioris V VIII IX. Inde concluserim falsam nominis formam iam in archetypo fuisse quam librarii nonnulli docte emendarunt. *Στάνδου* nomen ex *Σιλάνδου* Le Quien O. Ch. I 883, ex *Βλαύνδου* Ramsay (the historical geogr. of Asia minor p. 134) corruptum esse censent. Antiochum Hierocaesariensem addidi, quia hunc praesulem praeter V et VIII et hic quidem ultimo loco praebet. Facile igitur a ceteris versionibus omitti potuit.

In Phrygiorum praesulum catalogo urbium Sanai et Synadorum nomina inter se similia negotia librariis facessunt. VII urbium locos mutavit. *Σαναοῦ* scripsi. *Συνάδων* scribendum esse una *ν* littera corruptae formae I et V collatae cum XI efficere videntur. Azanorum episcopus in V et VII Pistus est; verum nomen Pisticus ceteri libri habent. Ultimus episcopus in I III et libris nonnullis familiae II Hieropolitanus vocatur, ita ut de Hieropoli Salutaris Phrygiae cogitari possit; sed cf. VIII 'jr'spwlws i. e. *Ἱερᾶς πόλεως*.

In Pisidia provincia Limenensis episcopi nomen peregrinum varie a librariis corruptum est. Formae Aranius favent I II IV VII XI. De Theodoro Usadensi iam egimus p. XLIII. Lycia provincia unum praebet episcopum. Nam Nicolaum Myrensem Graecus ex alio fonte addidit. De provinciarum Pamphyliae et Insularum nominibus ambiguis iam disputavimus. Strategius Lemni, qui etiam Achivis praesulibus assignatur, iam ab archetypi auctore bis positus est. In Caria *Κιβυρατῶν* scripsi, I et VIII librorum indicia secutus.

Nonnullae dificultates indici Isaurarum urbium insunt. Urbs Coropissus in I Curpissu, in V *Γορπίσου* scribitur; sed II III IV XI formam *Κοροπισσός* defendunt. Urbis

Umanadorum nomen in archetypo *Οὐμανάδων* scriptum fuisse videtur. Nomen vel in Umandron (cf. I V) vel in Tymanadon (cf. III VIII) a librariis depravatum est. Ultimum Isauriae episcopum Diocaesareae esse O. Cuntz recte vidit. Veri nominis vestigia sola familia II tenuit; omnes aliae *Παροικίας Ἰσαυρίας* praebent. Septimo concilio oecumenico adfuit et Manzo episcopus Diocaesareae Pracanorum: *Διοκαισαρείας Πρακάνων* (Mansi XIII 371; *Μάνζων ἐπίσκοπος Διοκαισαρείας* XIII 149); idem actis subscribit in actione VII (Mansi XIII 397): *Μάνζων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πρακάνων* et notitia VIII saec. (de Boor. Ztsch. f. Kirchengesch. 1891 p. 529) recenset inter episcopos Seleuciae subditos: tertium *γʹ. ὁ Διοκαισαρείας*. quartum *δʹ. ὁ Προκάνης*. Unus idemque episcopus est: *ὁ Διοκαισαρείας ἤτοι Παροικιανῆς*. Simili modo auctor indicis duo nomina (prius fortasse iam corruptum) praebuisse videtur.

Cypri et Bithyniae praesules in omnibus versionibus recte traduntur. Euethius comparatis inter se II V IX XI *Ἀδριανῶν* scribendus est.

In fine indicis qui Europam et Illyrici provincias complectitur magna et nominum et ordinis confusio est. I provinciarum vocabula duobus exceptis omnia omittit. Praecipui testes II et VIII esse videntur. In Europa reliquae versiones unum episcopum exhibent Heracliensem; II et III addunt Marcum Comeonsem qui ex Marco Calabro repetitus esse videtur. Budium Stobensem prior recensio Dardaniae assignat; recte ut iam vidimus (p. XLIV) altera inter Macedoniae praesules eum recepit.

Alterum Achaiae episcopum cum I II XI Marcum scripsimus (Marsum habent V VIII IX) et urbem Boeam (I II XI), quod nomen Graecus in Boeotiam correxit. Syrus recte vidit Euboeam esse.

Thessaliae episcopum praecipuae versiones (I II VIII praeterea IX et XI) Thessaliae praesulem nominant, cf. Domnus Pannoniae. Graecus eum Larissae episcopum facit, fortasse recte. Verum cum huius libri auctoritas exigua

sit, meliorum librorum rationem in restituendo indice sequendam esse censui. Graeci indicis auctor, ut alterum Ilii episcopum Troadensem fecit, etiam hoc loco doctrina sua contextum emendasse videtur.

Iam indicem quem restituere conati sumus, oculis subiciamus. Ex his quae modo disputavimus necessario efficitur, ut multa lubrica et incerta remaneant.

Cap. XI.

Index patrum Nicaenorum restitutus.

1. *Ὅσιος ἐπίσκοπος Κορδούβης Σπανίας·*
οὕτως πιστεύω ὥσπερ γέγραπται
Βίτων καὶ Βικέντιος πρεσβύτεροι Ῥώμης

Αἰγύπτου

2. *Ἀλέξανδρος Ἀλεξανδρείας*
3. *Ἁρποκρατίων Ἀλφοκράνων*
4. *Ἀδαμάντιος Κυνῶν*
5. *Ἀρβετίων Φαρβαιθοῦ*
6. *Φίλιππος Πανεφύσεως*
7. *Ποτάμων Ἡρακλέους*
8. *Σεκοῦνδος Πτολεμαΐδος*
9. *Δωρόθεος Πηλουσίου*
10. *Γάιος Θμούεως*
11. *Ἀντίοχος Μέμφεως*
12. *Τιβέριος Ταυθίτης*

Τῆς Θηβαΐδος

13. *Ἀτθᾶς Σχεδίας*
14. *Τύραννος Ἀντινόου*
15. *Πλουσιανὸς Λυκῶ*

Τῆς δὲ Λιβύης τῆς ἀνωτέρας

16. *Δάκης Βερονίκης*
17. *Ζώπυρος Βάρκης*
18. *Σαραπίων Ἀντιπύργου*
19. *Σεκοῦνδος Ταύχης*

Λιβύης κάτω

20. *Τῖτος Παρατονίου*

Παλαιστίνης

21. *Μακάριος Ἱεροσολύμων*
22. *Γερμανὸς Νεαπόλεως*
23. *Μαρῖνος Σεβαστηνός*
24. *Γαϊανὸς Σεβαστῆς*
25. *Εὐσέβιος Καισαρείας*
26. *Σαβῖνος Γαδάρων*
27. *Λογγῖνος Ἀσκάλωνος*
28. *Πέτρος Νικοπόλεως*
29. *Μακρῖνος Ἰαμνείας*

30. Μάξιμος Ἐλευθεροπόλεως
31. Παῦλος Μαξιμιανουπόλεως
32. Ἰανουάριος Ἱεριχοῦντος
33. Ἡλιόδωρος Ζαβουλῶν
34. Ἀέτιος Λυδδῶν
35. Σιλουανός Ἀζώτου
36. Πατρόφιλος Σκυθοπόλεως
37. Ἀσκληπᾶς Γάζης
38. Πέτρος Ἀιλᾶς
39. Ἀντίοχος Καπετωλιάδος

Φοινίκης

40. Ζήνων Τύρου
41. Αἰνείας Πτολεμαΐδος
42. Μάγνος Δαμασκοῦ
43. Θεόδωρος Σιδῶνος
44. Ἑλλάνικος Τριπόλεως
45. Φιλόκαλος Πανεάδος
46. Γρηγόριος Βηρυτοῦ
47. Μαρῖνος Παλμύρων
48. Θαδωνεὺς Ἀλασσοῦ
49. Ἀνατόλιος Ἐμίσης

Συρίας Κοίλης

50. Εὐστάθιος Ἀντιοχείας
51. Ζηνόβιος Σελευκείας
52. Θεόδοτος Λαοδικείας
53. Ἄλφιος Ἀπαμείας
54. Βασιανὸς Ῥαφανεῶν
55. Φιλόξενος Ἱεραπόλεως
56. Σαλαμάνης Γερμανικείας
57. Πιπέριος Σαμοσάτων
58. Ἀρχέλαος Δολίχης
59. Εὐφρατίων Βαλανεῶν
60. Φάλαδος χωρεπίσκοπος
61. Ζωίλος Γαβάλων
62. Βάσσος Ζεύγματος
63. Γερόντιος Λαρίσων
64. Μανίκειος Ἐπιφανείας
65. Εὐστάθιος Ἀρεθούσης
66. Παῦλος Νεοκαισαρείας
67. Σιρίκιος Κύρρου
68. Σέλευκος χωρεπίσκοπος
69. Πέτρος Γινδάρου
70. Πηγάσιος Ἀρβοκαδάμων
71. Βασσώνης Γαβούλων

Ἀραβίας

72. Νικόμαχος Βόστρων
73. Κυρίων Φιλαδελφείας
74. Γεννάδιος Ἰσβούντων
75. Σευῆρος Σοδόμων
76. Σώπατρος Βερετανεύς
77. Σευῆρος Διονυσιάδος

Μεσοποταμίας

78. Ἀειθιλᾶς Ἐδέσσης
79. Ἰάκωβος Νισίβιος
